

Dk. d.

DE

ARISTOPHANIS FABULA,

QUAE INSCRIBITUR AVES.

SCRIPSIT

S. LOEHLE,

Professor.

HEIDELBERGAE

EX OFFICINA AVENARII.

1865.

PHILOLOGORUM GERMANICORUM

EXEUNTE MENSE SEPTEMBRI A. MDCCCLXV

HEIDELBERGAE CONGREGATORUM

CONVENTUI

HUNCCE LIBELLUM CONSALUTANDI CAUSA

D. D. D.

ATQUE

SUAE OBSERVANTIAE VOLUNTATIS PIETATIS

TESTEM ESSE VOLUERUNT

LYCEI HEIDELBERGENSIS COLLEGAE.

Germaniae Philologis,

Heidelbergae congregatis,

„gaudere et bene rem gerere
Musa rogata refer“.

Quod diu multumque concupivimus, sed eventurum esse sperare vix ausi sumus, id nobis contigit. In nostram enim urbem convenere viri ex omnibus Germaniae partibus doctissimi, ea, quam quisque profitetur, arte eruditissimi, ubi cum de omnibus, quae in artibus versantur, rebus, tum de juventute quovis doctrinae genere efficienter erudienda habitis orationibus, collatis sermonibus omnium literarum studia atque universam rem scholasticam juvent atque provehant.

Horum igitur virorum interesse variis et diversis et in omnem partem diffusis disputationibus cum nobis hac ipsa in urbe patria liceat, alii ea, quae nobis quasi dormientibus deferuntur, cum longinquis saepe et sumtuosis itineribus compensare necesse est. Propterea summo nos affici gaudio par est, cujus quidem nostri omnium hujus Lycei praeceptorum gaudii interprete uti nobis liceat eo, cujus nomen inscriptum est huic commentationi, collega dilecto. Qui quum primum omnium id sibi agendum esse putaret, ut materiam eligeret dignam,

quae tractaretur in libello huic *Doctissimorum Virorum conventui* oblato, tractanda *Aristophanis*, comicorum Graecorum principis, illa fabula, quae inscripta est *Aves*, id quod voluit atque spectavit, optime se consequi posse existimavit. Hunc enim poetam ejusque comoedias dignissimas esse, quibus illustrandis et emendandis operam navent viri docti, intelligentissimorum antiquarum literarum existimatorum in unum congruunt sententiae. Etenim, ut alia omittamus, historia illius aetatis et accuratior Atheniensium illius temporis morum cognitio non aliunde rectius quam ex his fabulis percipi potest. Propterea virorum in antiquitatis monumentis recte interpretandis praestantissimorum quo quis habitus est doctior, eo majore jam diu studio et delectatione in explicandis illis comoediis versatus est. Inde factum est, ut jam multis rebus antea obscuris lucem afferrent viri docti. Superesse tamen non pauca parum perspicua vel prave interpretata, nemo est, qui neget. Itaque se operae pretium facturum existimavit collega dilectus, si pro virili parte et ipse protulisset, quid sentiret et de aliis nonnullis Aristophanis locis saepius tractatis et imprimis *de consilio, quod Aristophanes secutus sit in scribenda comoedia, quae inscribitur „Aves“*.

Quam commentationem quum vobis, Viri Docti, mea quasi media quadam manu offert, ut has primitias suas benevolo accipiatis animo neve quid ipsi de iisdem rebus sentiatis et judicetis, secum communicare dedignemini, rogat atque flagitat.

Cadenbach,

Lycei Heidelbergensis Director.

In antiquae poesis monumentis si quis mediocriter sit versatus, facile eum perspectum habere existimo, omnia carminum genera praestantissimi Graecae gentis ingenii vi ita esse comparata, ut omnes omnium aetatum homines illis, quippe quae omnibus numeris perfecta sint et cumulata, vel maxime delectentur. Atque novissima veterum Graecorum aetas quidquid praeclarum ac singulare in hoc genere tulit, id inprimis antiquae comoediae Atticae est attribuendum. Cujus quidem literarum generis cum reliquiae sane perpaucae ad nostram aetatem pervenerint, secundo tamen quodam casu factum esse videtur, ut praestantissimae quaeque fabulae Aristophanis, poetae divini et in comoedia facile principis, paene inte rae sint conservatae. At vero ceteros Graecae poesis principes, Homerum dico, Pindarum, Sophoclem, cum summa prosequamur admiratione, summi poetae comici fabulis optime institutis animi nostrae aetatis hominum non ita vehementer delectari videntur, id quod his potissimum rebus effici censendum est.

Primum quidem poetae comici inprimis est proprium, ut res ipsas, quae eo ipso tempore, cum scribit, aguntur, acerrime illas quidem contueatur animoque complectatur atque ita quaecunque aetate sua geruntur, persequatur. Nobis vero longo intervallo ab ista aetate remotis cum multa, quae et gravia et levia poetae temporibus facta gestave sunt, oblivione sint obruta et Aristophaneae aetatis rationes non omnes penitus percipere ac recte aestimare nobis liceat, res quasdam minus conspicuas videri obscuras atque ita omnes illas fabulae ali-

cujus locos, quas non plane intelligimus, vel minime laetis animis recoli, est consentaneum. Etsi viri doctissimi multis locis aut corruptis medicinam aut minus perspicuis ad intelligendum lucis aliquid sedulo attulerunt, interpretatio tamen, cujus officium est, ut locos istos obscuros ad res ipsas, unde lumen accedat, revocet, non ita munere suo est defuncta, quin multa illustranda sint relicta. Quamquam hanc causam, cur Aristophaneas fabulas legendo animi minus delectari videantur, quasi aliunde attuli; verum aliae quaedam causae eaeque graviores e carminibus ipsis sunt petendae.

Antiqua comoedia Attica cum vel maxime populi hilaritati cuidam ludorum lascivia incensae consulat atque per religionis quandam consuetudinem majore etiam, quam mos fert, licentia petulantiaque admissa quidquid decorum, liberale, modestum est, negligat ac pervertat, prudentioribus atque acrioribus quibusdam nimis rudis atque inculta minimoque ad artis rationem quandam conformata videtur. Quodsi sunt, qui censeant, agrestiores quodammodo sensus in Aristophaneis fabulis inesse, illi quidem vehementer errant neque intelligunt, etsi laetus quidam ac validus Graeci populi integro mentis vigore praediti animus in istis poematis praestantissimis spiret atque expressus sit, comoediam Aristophaneam quam longissime recedere a ludis istis rudibus omnique consilio atque instituto carentibus. Atque leporis et facetiarum perpetuitate atque ubertate cum poeta utatur, tantum abest, ut nihil velit nisi jocari et nugari vel populi voluntati servire, ut sententiam quandam magnificam atque grandem facete et tanquam veste venustissima expromat. Quam rationem qui non perspexerint, eos vel minime Aristophanis artem et virtutem perceptam habere, dicere non vereor. Nam in Aristophanis fabulis legendis si quis mediocriter versatur, eum nullo pacto fugere potest, quamvis in hilaritatem ac facetias poeta praestantissimus sit effusus idque, quod vere animo sentit, lepore

atque gratia propemodum obruat, tamen in ejus mente speciem quandam insitam esse, qua ductus, ut carmina magna quadam hilaritate ac laetitia redundant, ita in iisdem summa utatur severitate atque gravitate, ut virtutibus plane contrariis illa quidem sint insignia. Atque adeo morum judex gravis austerusque est, ut, si ad hujus aetatis instituta ejus fabulas revocamus, saepenumero severitas admodum magna appareat. Quamquam poeta quo diutius hoc officio fungitur, eo longius a gravitate ipsa recedit animumque ad hilaritatem et laetitiam revocat, ita tamen, ut, gravitate et hilaritate arctissime inter se conjunctis et paene conflatis poesis venustissima et perfectissima efflorescat. Itaque magna quadam virtutis honestatisque vi incitatus strenue Aristophanes propositum quoddam persequitur, quo fit, ut res, quas fabula aliqua poeta complectitur, ad eam actionis concinnitatem adspirent, qua omnes fabulae partes apte inter se congruant ac totum quiddam efficiant. Atque ita actionis vere comicae rationem quandam, qua nihil praestantius inveniri potest, in lucem protulit divinus poeta, cum certis definitisque legibus illa quidem actio quamvis varia ac multiplex ad exitum progrediatur haud dubie Sophoclis tragica non minus omnibus numeris absoluta. At vero cum multi reperiantur, qui universam fabulae alicujus rationem minus perspicue perceptam habeant, hac quoque re efficitur, ut illi quidem certe non ea, qua par est, admiratione poemata praestantissima amplectantur. Quamquam novissimis quidem temporibus multi iique doctissimi viri sedulo operam dederunt, ut, et quid tota aliqua fabula composita poetae propositum fuisset et quibus rationibus ac legibus actio comica progrederetur, explicarent atque suam poetae divino dignitatem laudemque vindicarent.

Equidem laetissimo animo hac occasione oblata usus sum, ut, quid de Aristophanis fabularum, quae exstant, praestantissima sentirem, exprimerem, non quo

viris doctissimis, qui huic fabulae explicandae operam navarunt, rectius aestimare mihi viderer; plane vero cum de sententiis in medium prolatis mihi persuadere non possem, eo majore incendebar studio, ut amplius rationem a poeta summo institutam persequerer, si forte lucis aliquid accederet rei etiamnunc admodum obscurae. Atque tribus capitibus et primo quidem fabulae argumentum, altero personarum, a quibus primae tenentur partes, ingenium et mores illustrare, tertio, qua ratione actio ipsa ad exitum procedere videatur, explicare conabor.

CAPUT I.

De fabulae argumento.

Inter rupes fruticibus et arbustis obtectas duo Athenienses, Pithetaerus et Euelpides, incedunt, aves gestantes, ille cornicem, hic graculum. Jam ubi non recta pergentes, sed huc illuc cursitantes iter confecerunt maximum, ubi terrarum sint nescii, sermonem ordiuntur animis haud ita laetis. Atque illas quidem aves, quibus uterentur ducibus ad Tereum Epopem investigandum, in foro aviario a Pithetaero et Euelpide paucis esse emtas nummis, ab hoc accipimus, qui quidem, cum, quid sentiat, quin eloquatur, facere nequeat, diras imprecatur Philocrati cuidam, avium venditori et homini „atra bile percito“, ut dicit ille, aegerrime ferens, quod ab homine isto versuto deceptus sit iis avibus, quae nihil sciant nisi mordere, acceptis. Quod cum, quid graculus velit significetve, Euelpides perspicere nequeat, ex Pithetaero amico, quid cornix de via loquatur, quaerit: verum ne haec quidem docet quidquam certi, nisi forte „rodendo Pithetaeri digitos se esse obesuram.“ Atque his quidem avibus homines libidinosos atque impudicos poetam velle indicare ut minime sane largiar, cum haec interpretandi

ratio ad comoedias Aristophaneas illustrandas vel minimum valeat, ita non negaverim, qua inducuntur ratione Athenienses isti, peculiarem quandam levitatem atque credulitatem illa quidem significari vel potius perstringi: prorsus enim Pithetaerum et Euelpidem, cum magnam quandam rem aggressuri videantur, fugit, qua ratione, quod volunt atque expetunt, sint assecuturi, ita ut, cum istis avibus se permittant ducibus, temeritas et casus valeat, id quod magni est momenti istorum ad consuetudinem ac mores adumbrandos. Sed ad rem redeamus.

Iterum igitur Euelpides in cogitatione defixus conqueritur: nequaquam cum ad aves vel *ἐς κόρακας*, ut iste voce illa formula male ominata joci causa commutata dicit, ire velint, viam illuc ferentem se invenire posse. Dissimillimo enim sese esse affectos morbo atque Sacam, qui quidem, cum civis non sit, civitatem consequi summopere studeat: at vero semet ipsos, etsi nobili tribu et gente sint orti, tamen nullo pellente e patria evalasse utroque pede; ut enim cicadae paucos menses cantent in arborum sedentes ramis, ita Athenienses omnem cantare vitam semper judiciis affixos.

Διὰ ταῦτα τόνδε τὸν βάδον βαδίζομεν,
κανοῦν δ' ἔχοντε καὶ χύτραν καὶ μυρρίνας,
πλανώμεθα ζητοῦντε τόπον ἀπράγμονα,
ὅποι καθιδρυθέντε διαγενοίμεθ' ἄν.

Ita pergit Euelpides V. 42 sqq.

Quamobrem ad Tereum Epopem iter sunt facturi, ex quo quaerant, talemne urbem viderit. Atque hunc quidem locum vel plurimum valere ad personarum, quas poeta finxit, consuetudinem ac mores exprimendos cum omnes, qui huic fabulae explicandae operam navarunt, homines docti perspectum habuerint, tum inprimis H. Köchly, vir doctissimus et qui plurimum contulit ad artem Aristophaneam recte aestimandam, multum his verbis tribuit momenti, haud scio an nimium, iis quidem versibus, quibus poeta reprehendit Athenienses litium

amantissimos. Et de verbis quidem *φυλῇ καὶ γένει τιμώμενοι* egregie exponit vir summus, cum dicit, generosa illos oriundos stirpe neque homines perditos esse, ex istis verbis elucere;[1]) sed cum inde concludi vult,[2]) viros esse optimos et morum patriorum amantissimos, huic sententiae accedere non possum. Ex Euelpidis quidem verbis inde a V. 27—48 prorsus non liquet, antiquorum illorum civium, quos tot fabulis Aristophanes laudibus extulit summis, Pithetaerus et Euelpides sint similes necne et haud scio an certo quodam consilio e civibus vel illustrissimis et nobilissimis hujus comoediae personas duxerit, docturus, illos ipsos eo, quem notaturus est, errore captos teneri. Utrum igitur istos Athenienses tanquam bonos viros adumbrare voluerit necne, ex ceteris fabulae partibus apparebit. Neque timore aliquo litium impulsi Pithetaerus et Euelpides Athenis decedere videntur, verum sua sponte et studio quodam rerum novarum excitati, ut ipsorum verbis utar:

οὐ σοβοῦντες οὐδενὸς
ἀνεπτόμεσθ᾽ ἐκ τῆς πατρίδος ἀμφοῖν ποδοῖν.

Quodsi propter lites, quas sane eo ipso anno, quo poeta hanc fabulam docuit, vel creberrimas esse intentas constat, sese aufugere Euelpides profitetur, magis illi quidem satietate quadam, quam metu moti id facere censendi sunt. Cui interpretationi A. S. Voegelin quoque, v. d., assentiri videtur.[3])

1) Ueber die Vögel des Aristophanes. Zürich 1857, p. 7. „Zwei Athener sind's: „Zünfte und Geschlechter makellos, Vollbürger reinsten Bluts." Sie sind also keine Lumpen, keine Taugenichtse, welche ihr Glück draussen „probiren" und darum „marschiren" wollen und — müssen, weil sie daheim auf keinen grünen Zweig kommen können."

2) „Also gehören sie zur Klasse der Altconservativen, welche Aristophanes bisher als die eigentlichen Träger ächt athenischen Volksthums verherrlicht hat."

3) Ueber Aristophanes Vögel. Zürich 1858, p. 4: „Schon in dieser ersten Entwicklung sehe ich bestimmt angegeben, dass nichts besonders Tiefes in diesen beiden zu suchen ist. Sie wollen

Atque mihi quidem incerto quodam desiderio impetuque animi caeco rapi videntur ad locum quendam ἀπράγμονα, ut ait Euelpides, investigandum h. e. non litibus modo vacuum, verum etiam quovis negotii ac laboris genere, ita ut in voce ἀπράγμονα ludere poeta videatur: illa enim notio cum versibus praegressis, quibus quidem cives suos poeta acerbissime perstringit, optime congruit neque quidquam obstabat, quin spectantes quoque illam vocem sensu graviore ac severiore acciperent, ita ut fortasse non pauci eorum, qui fabulae agendae intererant, cum istis demigrare cuperent recordati, quot cives aut morte aut exilio multati essent, violatorum Hermarum illorum accusati; haec autem istius vocis notio, qua latiore sensu locum significat omni genere negotii ac laboris vacuum, egregie quadrat in personarum, quae hac fabula perhibentur, naturam consuetudinemque, quae quidem infra exprimitur. Atque reliquos quoque, qui ad timorem istum revocandi videntur, locos haud dubie paucissimos mihi quidem nimis premere idem vir doctissimus videtur ad suam sententiam confirmandam et quidem V. 125 et 126, ubi Euelpidi Epops dicit:

ἀριστοκρατεῖσθαι δῆλος εἶ ζητῶν,

cui illum ne optimatibus favere videatur, festinanter respondere censet v. d.: [4])

ἐγώ;
ἥκιστα· καὶ τὸν Σκελλίου βδελύττομαι.

At vero egregie illa verba cadunt in propriam pe-

---

den ewigen Processen entgehen, aber, wie es scheint, nicht aus Angst davor, sondern aus Ueberdruss."

4) „Die ängstlich eifrige Hast, mit welcher der Gefragte diese Zumuthung ablehnt, lässt uns zuerst ahnen, dass es mit jenen Processen, welche unsere Flüchtlinge von Haus und Hof vertrieben, eine ganz besondere Bewandtniss hat, dass sie anderer Art sind, als die sonst gewöhnlichen Rechtshändel. Es sind Hochverrathsprocesse, wie sie seit einem Jahr in Athen gewüthet haben."

culiaremque Euelpidis et Pithetaeri naturam consuetudinemque, quae qualis sit actione progrediente certius cognoscetur. Neque enim videri modo nolunt, ne sunt quidem optimates. Istam igitur suspicionem si aversatur Euelpidis, prorsus ex animo loquitur. Ubi vero Salaminiam poeta attingit, navem illam publicam, ad Alcibiadem revocatum, fortasse etiam ad alias res nobis minus notas alludens, id fit, ut saepissime in comoedia ita, ut res, quae affertur, vel minime referenda sit ad fabulae institutum. Equidem censeo, si timorem illum litium poeta tanquam veram, cur isti Athenis demigrarent, causam intelligi voluisset, id eum non paucis verbis aut obscure jacturum, sed copiosissime persecuturum fuisse.

Sed jam oratio nostra ad rem redit. Hiante tandem ore sursum aves spectant, unde isti colligunt, ad Epopis domicilium se pervenisse et profecto rupem iis veluti fores pulsantibus janitor prodit Trochilus; utrique vero non mediocriter perturbantur et quidem illi rictu alitis conspecto, hic illos aucupes esse ratus. [5])

Prae timore igitur lepide negant isti Athenienses, se esse homines peregrinasque aves se simul ant et Pithetaerus quidem *ἐπικεχοδότα Φασιανικόν* se profitetur, poeta facetissime ludente in ambiguitate vocis *Φασιανικόν*. Mire contra Trochilus refert hominem: servus est Epopis, qui

---

5) *Τοῦ χασμήματος* voce v. 61. non tam veram Trochili formam adumbrare vult poeta, quam histrionis habitum avem imitantem facetius significare, ita ut Euelpides ipsam alitis personam derideat, ut saepissime fit in comoedia idque lepidissime in hujus ipsius fabulae loco paulo inferiore, ubi jucundissime Epopis habitus describitnr vel lusciniae versibus parabasi antecedentibus a poeta, ut actionis fictae verisimilitudinem tueatur, parum anxio. Vide Dindorfii notam apud J. Bekkerum in Vol. IV. Arist. comm. p. 120 V. 61.: personae deridentur, quae omnes in hac fabula ingenti rictu fuisse videntur praeter comicorum morem, quorum personae habebant *πρόσωπον οὐ κεχηνός*, ut tragicae, *ἀλλὰ συμμεμυκός*.

et ipse in rebus quibusdam humanam induit naturam vel potius retinuit, cum ex Tereo rege ales sit factus. Tunc ut a pedibus haberet illum, optavit. Diligentissimus igitur minister herum, qui modo obdormivit myrti baccis nonnullis ac vermibus comesis, e somno excitare dubitat; *σφῷν δ'αὐτὸν εἵνεκ' ἐπεγερῶ*, benevole addit. Quibus dictis Trochilus scena decedit herum advocaturus. Inter sermonem cum Trochilo habitum aves istae avolaverant *ὑπὸ τοῦ δέους*, ut comice loquitur Euelpides. Lepidissime alter alteri timorem obicit. Etenim in iis locis, quamvis leves videantur, vel maxime poetae ingenium cernitur, ubi per jocos populares et alios et semet ipsas personae derident.

Jam vero Epops e longinquo voce missa prodit. Quo conspecto isti homines vere Athenienses facere non possunt, quin ludant eum, cum non tam ejus naturam atque habitum, quam histrionis personam facete significent. At vero quod in praesentia pennae desunt Epopi, satis habet excusationis, cum illae quidem cunctis avibus hieme delabantur. Jam ex iis quoque, qui sint, Epops quaerit. Se vere esse mortales, ajunt, unde triremes illae sint pulchrae, oriundos. Itaque heliastae Epopi videntur, sed negant et huc quidem sese venisse profitentur Epopem consulturos ac primum quidem, quoniam, ut ait Euelpides V. 114 sqq.:

ἦσθ' ἄνθρωπος, ὥσπερ νώ, ποτέ,
κἀργύριον ὠφείλησας, ὥσπερ νώ, ποτέ.
κοὐκ ἀποδιδοὺς ἔχαιρες, ὥσπερ νώ, ποτέ
εἶτ' αὖθις ὀρνίθων μεταλλάξας φύσιν
καὶ γῆν ἐπέπτου καὶ θάλατταν ἐν κύκλῳ,
καὶ πάνθ' ὅσαπερ ἄνθρωπος ὅσα τ'ὄρνις φρονεῖς.

Jam hic in voce *ὄρνις* poeta mihi ludere videtur significante et avem et hominem avis similem i. e. levem, mobilem, inconstantem, ita ut jam hic vocis istius ambiguitate spectantium animos ad risum excitari necesse fuerit. Neque omittendum est, qua mente poeta ipse vocem illam interpretetur infra V. 169 sqq. Illis igitur de causis, pergit Euelpides, huc ad te venimus:

εἴ τινα πόλιν φράσειας ἡμῖν εὔερον,
ὥσπερ σισύραν ἐγκατακλινῆναι μαλθακήν.

Neque vero urbem Athenis majorem quaerunt, sed sibi commodiorem ab eamque rem, istos optimatium esse fautores, Epops suspicatur, id quod acerrime Euelpides aversatur, non quod significare poeta velit, crimine isto in periculum aliquem vocari posse vel maximum, ita ut etiamnunc illa quidem voce iste, etsi in avibus sit, vehementissime perterreatur, sed quia istorum studia, vel maxime abhorrent ab optimatium indole. Neque enim ullo loco horum quidem referunt aut ingenium aut mores, idquod dilucide apparet ex iis locis, ubi isti, quid velint, aperte dicunt. Euelpides enim ea potissimum urbe se delectari profitetur, ubi quotidie amicus quis ad ipsum veniens haec fere dicat:

ὅπως παρέσει μοι καὶ σὺ καὶ τὰ παιδία
λουσάμενα πρῴ· μέλλω γὰρ ἑστιᾶν γάμους. V. 131.

Pithetaerus vero haud dissimilia amat urbemque quaerit, ubi pueri formosi pater sibi obvius tanquam offensus ipsum reprehendat, quod libidini non indulserit. Cf. V. 139 sqq.

Jam Epops ubi, quod vitae genus potissimum isti expetant, perspexit, urbes quasdam haud dubie ad istorum voluntatem accommodatissimas enumerat; verum semper aliquid est, quo isti deterreantur, ita ut in hac terra vix ulla urbs inveniri posse videatur, quae omni ex parte Pithetaeri et Euelpidis optatis respondeat. Postremo vero cum Euelpides interrogat, qualis tandem avium vita sit:

οὐκ ἄχαρις ἐς τὴν τριβήν·
οὗ πρῶτα μὲν δεῖ ζῆν ἄνευ βαλλαντίου,

Epops V. 166 sqq. respondet, ut sane aliquid depravationis e vita sublatum esse Euelpidi videatur. Atque Epops pergit V. 159:

νεμόμεσθα δ'ἐν κήποις τὰ λευκὰ σήσαμα
καὶ μύρτα καὶ μήκωνα καὶ σισύμβρια.

Quod vitae genus ita jucundum Euelpidi videtur, ut sponsorum vitam agere aves opinetur. Atque Pithetaerus, dum Epops et Euelpides inter se colloquuntur, in cogitatione ille quidem defixus, quid faciendum sit, mente agitat ac subito Epopis verbis auditis exclamat v. 162 sqq.:

φεῦ ῥεῦ·
ἦ μέγ' ἐνορῶ βούλευμ' ἐν ὀρνίθων γένει,
καὶ δύναμιν ἣ γένοιτ' ἄν, εἰ πίθοισθέ μοι.

Jam, quid velit, quid faciendum sit, mente est complexus. Et hi quidem, quos attulimus, loci cum vehementer pertineant ad totius fabulae institutum, copiosius de iis disputabimus.

Athenienses isti neque litium timore neque certo quodam consilio Athenis decedunt. Immo temeraria quadam cupiditate, qua quo deducantur ipsi nescire videntur, et ad vitae conditiones, quibus adhuc usi sunt Athenis, commutandas et ad quaerendum novum quendam statum eumque jucundissimum excitantur. Quodsi diligentius eorum, ubi maxime, quid velint, isti eloquuntur, locorum vim et naturam fuerimus perscrutati, dubitare nequibimus, quin in eorum mente species quaedam insit vitae beatissimae, ad cujus similitudinem omnibus vitae humanae molestiis atque acerbitatibus missis unis voluptatibus, quae sensibus percipiuntur, perfrui volunt, ita ut illa quidem species proxime accedat ad fortunatam illam beatarum securarumque avium vitam. Quam cum Athenis agere nequeant, hac urbe excedunt. Atque ita vere ad avium imaginem Atheniensium istorum sensa et cogitata transtulit, ut, sicuti Nubibus fictis, quae Socrates cogitatione et mente comprehendit vel potius finxit, tanquam res verae ei apparent, ita istis ipsorum cogitata avium imagine vestita tanquam res ipsae extrinsecur occurrant: adeo imago illa ad istorum sententiarum similitudinem est conformata. Pithetaerus enim recentioris civis est exemplum, qui quidem consuetudine moribusque cum vere humanis tum antiquitus receptis de-

positis, dum ad aves evehitur, ad ferarum naturam consuetudinemque retro volvitur, id quod spectantium animos fugere non potuit, ita ut, qua ratione istorum consilia adumbrabantur atque illustrabantur, fieri non potuit, quin omnium risus moveretur. Verum enim vero ubi primum Pithetaeus sensa et cogitata ad res ipsas translaturus est, hominum et ingenium et mos sublata revocantur, cum ille quidem homo et sit et maneat et quidem antiquus neque aut suam naturam exuere aut in avem converti queat. Immo eo ipso tempore, quo avium vita jucundissima ei videtur atque naturam consuetudinemque earum sequi animum inducit, illud profecto ejus animo obversatur, quo pacto hominum more ad societatem quandam ineundam istae consocientur, ita ut rationes humanas, quas fugere voluerit, ad aves transferre cogatur vel potius, cum avium imago ad eos homines sit revocanda, qui omnibus rebus, quibus homines praeter feras florent, missis unis voluptatibus serviant, iidem ad hominum mores, instituta, leges redire cogantur, a quibus cum Pithetaerus recedere velit, tamen humano modo cummuniter vivere atque imperium constituere animum induxit: adeo pugnantia effici vult, ut non intelligat communitatem ullam intercedere non posse inter eos homines, qui ipsorum natura, ingenio, moribus, institutis arctissime inter se cohaerentes tamen haec omnia solvant neque nisi pro se quisque vivere velint unis corporis voluptatibus obsequentes. Quae ratio a Pithetaero instituta, qua nescio quo pacto a se ipse dissentire censendus est, vehementissime augetur avium imagine ficta, cum avibus consociatis imperium ille quidem humano modo fundatum sit constituturus, non ignorans, ut videtur, quales sint illi homines, quos volitare dicimus; reprehendit enim avium mores v. 165 sqq., ubi haec leguntur:

μὴ περιπέτεσθε πανταχῇ κεχηνότες·
ὡς τοῦτ' ἄτιμον τοὔργον ἐστίν. αὐτίκα,

ἐκεῖ παρ' ἡμῖν τοὺς πετομένους ἢν ἔρῃ,
τίς ὄρνις οὗτος; ὁ Τελέας ἐρεῖ ταδί·
ἄνθρωπος ὄρνις ἀστάθμητος πετόμενος,
ἀτέκμαρτος, οὐδὲν οὐδέποτ' ἐν ταὐτῷ μένων. 6)

Pithetaerus igitur, cum intelligere videatur, quod aggressurus est, id vel perversissimum esse, idem illud effici vult. Itaque facetissime poeta illum reprehendentem facit homines volitantes, cum ipse cum avibus societatem sit initurus. Consociatio igitur quaedam hominum ad Pithethaeri sententias conformata exprimi mihi videtur avium imagine, ex qua verborum et sententiarum lepores copiosissime manant, cum, quid intercedat discriminis inter hominum et avium naturam et consuetudinem quolibet loco dilucide appareat, sed ita constanter actione progrediente ista imago tenetur, ut similis in nulla alia constantius. Quo fit, ut et singuli loci et sententiarum perpetuitas atque constantia haud sint faciles ad intelligendum. Neque vero, cum avium imago ita libere exprimatur, ut illarum natura paene integra teneatur, singuli loci ad unum omnes ad res ipsas sunt referendae. Haud dubie avium rationes ad homines revocandae magis dilucide conspiciuntur in iis fabulae partibus, quae parabasin priorem subsequuntur. Inprimis certe cavendum est, ne interpretando continuationem seriemque sententiarum, qua alia ex alia nexa et omnes inter se aptae colligataeque sunt, divellamus.

---

6) Verba, quae attulimus, perperam interpretatur Theodorus Kock in novissima h. f. editione, cum dicat hunc locum parum apertum esse ad intelligendum vocetque in dubitationem verba ἄνθρωπος ὄρνις, quae quid sibi velint intelligere nequit interpretans, „ein fliegender Menschenvogel", et recte quidem, si ita interpretamur; verum illa quidem verba significant: Vogelmensch i. e. hominem avis similem. Atque omnino universus hic locus mihi quidem minime obscurus vehementer pertinere videtur ad perfectam Pithetaeri notationem.



Jam vero Pithetaerus, quae mente complexus est, dicendo exprimit, cum Epopem cohortetur, ut conjunctae aves urbem condant. Ille vero cum, id qua ratione fieri possit, intelligere nequeat, et despicere deorsum et adspicere sursum et quoquoversus oculos conicere jubetur neque autem quidquam conspicit nisi nubes et coelum: is vero est locus, ubi urbs condenda est. Quo facto

ἄρξετ' ἀνθρώπων μὲν ὥσπερ παρνόπων,
τοὺς δ' αὖ θεοὺς ἀπολεῖτε λιμῷ Μηλίῳ,

inquit Pithetaeros v. 185 et 186. Sicut enim Athenienses a Boeotis transeundi veniam petunt Delphos ituri, similiter femorum oblatorum nidorem per aerem aves non transmittent, nisi di vectigalis copiam summam solverint. Jam vero totus inflammatur Epops verbis Pithethaeri, ut per nebulas et retia juret, nihil unquam lepidius cogitatum se audisse seque urbem condere paratum esse, si idem ceteris quoque avibus placuerit.

Atque Epops quidem vel aptissimus est, qui istos in aves introducat, cum pro iis partibus, quos et olim, ut veterum fabulis traditur, sustinuit et etiamnunc inter aves sustinet, quippe quas non tanquam rex, sed populari imperio moderetur, ita ut reipublicae disciplina assuefactae eaedem summa utantur libertate — ab illo enim humanam et vocem et naturam didicerant — tum praecipue ingenio et more, quae in Epope inesse poeta finxit, ad illam rem natus videtur. Popularis enim homo est et quidem vere Atheniensis summa et levitate et credulitate, cujus animus maximo inflammetur ardore novis rebus quamvis absurdis. Cui non versus istos elegantissimos legenti alter videtur Pithetaerus?

Jam Epops avium concionem advocaturus e somno lusciniam excitat suavissimis numeris anapaesticis, in quibus etiamnunc modi inesse videntur vel dulcissimi. [7])

---

7) Cf. Köchly l. l. p. 9.

Uxorem igitur cohortatur ille, ut modos sacros fundat, quibus deplorare soleat Ityn. Cf. V. 213 sqq., quibus nihil jucundius vel suavius legi potest, ita ut poetae ingenium et ars, quae in locis cernuntur melicis, summam moveant admirationem. Nam spirat atque expressa est in ista avium natura peculiaris quaedam jucunditas, qua ita suaviter animi nostri afficiuntur, ut omnium dolorum aegritudinumque humanarum obliti animis laetissimis in avium vitam introducamur. Neque omittendum est, quanta in deos pietas insit in his versibus elegantissimis. Jam vero una convocant Epops et luscinia varia avium genera, quae quomodo ingrediantur aut omnino se moveant, poeta mirum in modum maxima numerorum varietate imitatur. [8])

Et jam adventant singuli principes superbientes, mox accedunt agmine munito aves, quae quomodo incedant, egregie exprimit poeta V. 307, 310, 315. Neque vero solum avium vocem lepidissime imitatur poeta talibus versibus, sed omnino illarum ingenium facetissime exprimit, ut animorum et iracundia et levitas et mobilitas, quae avium propriae esse videntur, praecipue appareant. Nam ubi homines, quibuscum semper inimicitiae iis intercedunt, advenisse audierunt, acerrima incenduntur ira, qua incitati supplicium sumturae sunt et de illo, qui amicus vetus in summum, ut opinantur, discrimen ipsas devocavit, et de hominibus, quos aucupes esse putant. Atque Pithetaerus ipse aliquantisper de se esse actum arbitratur, brevi autem temporis spatio interjecto ita se collegit, ut instrumenta allata pro

---

8) Egregie dicit Köchly p. 9: Man glaubt sie zu sehen die Spatzen und Lerchen, wie sie zwischen den Furchen leicht dahinschlüpfen, die Waldvögel, wie sie auf den Zweigen sich wiegen, die Sumpfvögel, wie sie mit den langen Beinen über den grünen Moorgrund einherstelzen, die Meervögel, wie sie pfeilschnell über die Oberfläche des Wassers dahinstreichen.



armis adhibere, ollis ut clypeis uti, verua prae se defigere ut hastas, acetabula oculis apponere amicum jubeat. Et avium dux etsi imperat V. 364 et 365:

ἐλελελεῦ χώρει, κάθες τὸ ῥύγχος· οὐ μέλλειν ἐχρῆν.
ἕλκε, τίλλε, παῖε, δεῖρε, κόπτε πρώτην τὴν χύτραν,

tamen Epope auctore utrique se recipiunt animumque deponunt juxta iram tanquam gravis armaturae milites. Atque illo quidem docente ab inimicis quoque posse disci, ab iis enim, non ab amicis civitates et moenia struere et naves facere longas didicisse, facile avibus persuadetur, ut audiant istorum verba. Atque Epopem hominem vere popularem se praestare, intelligimus ex V. 316 et 317. Omnino prudentissime animos vehementer commotos temperare scit et mox cum iis in gratiam redit, ut apparet ex V. 183 et 184. Cum exponat deinde Epops, cupidine secum vitam degendi hospites captos teneri atque incredibilia inauditaque dicere, quidquid circumcirca conspiciatur, avium esse docentes, ita ut senex ille sibi videatur:

πυκνότατον κίναδος,
σόφισμα, κύρμα, τρίμμα, παιπάλημ' ὅλον (V. 430 et 431),

adeo curiositatem istarum movet, ut cupiditate vel vehementissima incendantur, hospites illos audiendi. Epopis igitur opera pax initur justa atque aves, quanquam etiamnunc aliquid metus in iis inest, tamen Pithetaerum cohortantur, ut, si quid, quod ipsas fugerit, animadverterit, se doceat. Maximam sane admirationem movet illud poetae artificium, quo a peculiari avium ingenio profectus nobis vix sentientibus actionem ad Atheniensium concionem transtulit. Vix enim mihi fieri posse videtur, ut quisquam revera neget, Atheniensium et mobilitatem et levitatem et credulitatem, quae vitia praecipue in concionibus praebebant cuivis oratori quamvis fatua suadenti morigerantes, carpi avium imagine maxime egregia.

Jam vero avibus ipsis cohortantibus, ut verba faciat, nihil est, quo mirificentius Pithetaerus delectetur. Ex V. enim 462 sqq., quid sentiat, perspicue intelligimus. Et jam dudum *μέγα καὶ λαρινὸν ἔπος τι* commentatur, quo istorum animos penitus commoveat jamque — novit enim suos — est commentus (V. 466 et 467):

οὕτως ὑμῶν ὑπεραλγῶ,
οἵτινες ὄντες πρότερον βασιλῆς —.

Nos fugere non potest, sensim sensimque imaginem in rem ipsam, quae illa significatur, converti, an non in Atheniensium concione esse et, quae in populi sensibus inclusa inhaerent, ea oratores disertissime eloquentes audire nobis videmur? Quam vero rationem Pithetaerus institui vult, eam vel cupidissime illa aetate Athenienses amplectebantur, etsi illa quidem minime cadit in verae reipublicae disciplinam, cum omnia misceri ac perverti hominesque inferiores superiores reddi necesse sit. Sed pergamus ad orationem Pithetaeri persequendam. Aves igitur prius exstiterunt Saturno et Titanibus et ipsa terra, id quod luculenter Aesopus ostendit, cum docet, alaudam in ipsius capite, cum terra nondum esset, patrem humasse. Avium igitur, si dis ipsis natu sunt majores, est regnum et profecto antiquitus non deos regnasse, sed volucres, id multis argumentis confirmari potest. Ac primum quidem gallus imperavit Persis, unde etiamnunc *Περσικὸς ὄρνις* vocatur, atque tanta fuit ejus potentia, ut usque adhuc aliquid obedientiae in hominibus inhaereat, quippe qui, simulatque ille multo mane cantavit, surgant ad opus suscipiendum. Cf. V. 489 sqq. Et Graeci etiam nunc milvis conspectis humi se prosternunt et, si quis regnaret Menelaus aut Agamemnon, in sceptro insidebat ales donorum, quae illi afferebantur, particeps. Atque etiam Jupiter ipse aquilam gerit, quae, si quis immolet, Jove ipso prius exta accipiat. At vero nunc homines istas exagitant quovis modo atque capiunt captasque vendunt; qui vero emunt, non modo assatas apponunt, sed,

ut carnium dulcedinem augeant, res maxime varias addunt. Cf. V. 532.

Quibus verbis penitus commotae volucres et patrum deplorant socordiam, qui honores a majoribus receptos aboleri passi sint, et fortunatae sibi videntur, quod ipsarum vindex Pithetaerus exstiterit, jamque ei et pullos et semet ipsas committere volunt, dummodo, quid fieri opus sit, doceat; namque vita nomine digna non videtur, nisi contigerit, ut patrios recuperent honores. Atque pluribus Pithetaerus, quid effici velit, persequitur cohortaturque aves, unam urbem ut exstruant totumque aerem muro circumdent. Quae urbs ubi exstructa sit, fore, ut a Jove imperium repetatur, id vero si tradere recusaverit, sacrum ei bellum se inlaturos atque ipsi et ceteris dis, ne amplius ad feminas adeant mortales, interdicturos. Ad homines vero alteram alitem esse mittendam, quae nuntiet, ut avibus, cum sint reges, jam sacra faciant prius et tum demum dis ac merito cuivis deorum avem aliquam componi, prout inter se conveniant, id quod pluribus facetissime depingitur. Quam rationem quod Pithetaerus inter aves et deos intercedere vult, sane offendere possumus, cum haud dubie, quo est ingenio et more, prorsus illos quidem regno depellere malit; sed contra dici potest, ex similitudine ac necessitudine, quae inter deos et volucres his versibus lepidissimis inter se compositos intercedere fingitur, facetias manare uberrimas, quibus, etsi di Olympii et ipsi tangantur, ita tamen, ut ingenuo lepore ac suavitate petantur neque illorum quidem magnitudo vere derideatur, tamen inprimis istae ipsae perstringantur, ut, cum dis cum componuntur, quid sibi velint, luce clarius sit. Facetissime enim poeta significat, omnia deorum officia et munera in voluptatibus sensibus perceptis illas ponere neque dissimulare, fore, ut acquiescant, dummodo fructum, qui ex deorum imperio redundet, capere liceat: reges fieri volunt aut certe divinorum honorum participes

esse, ut summa in perfruendis voluptatibus utantur libertate. Sed de diis regno depellendis si agitur, id per imaginem est accipiendum; horum enim personis leges, instituta, mores a patribus recepta repraesentantur, quae quidem tollenda sunt Pithetaero ejusque studiosis, si quidem rempublicam, quam volunt, constituturi sunt omnium liberrimam. Fortasse ii ipsi, qui cum maxime rempublicam Atheniensem moderantur et leges, instituta, mores patrios tuentur, deorum imagine adumbrantur. Neque negare poterimus, quanquam haec comoedia vel maxime a certamine illo, quod intercedebat inter plebem et optimates, recedit, tamen, cum poeta patriae amantissimus aliqua quidem ex parte horum esset studiosissimus, sensa quaedam atque cogitata ab isto certamine petita obrepere.

Jam Pithetaerus avium animos curis levat timentium, ne homines ipsas, quippe quae pennas habeant, non deos, sed graculos esse putent, cum admonet, multos etiam deorum volare. Homines vero si ipsarum numina non agnoverint prae inscitia, passerum nubes mittetur, ut ait ille, ad semina legenda atque consumenda itemque corvi jumentorum et pecudum oculos effodient. Deos autem si aves existimabunt, bonis maximis et plurimis redundabunt. Ac primum quidem vitium florem a locustis, ficus a culicibus vermiculisque tuebuntur aves, deinde venas aeris uberrimas ac thesauros in terra defossos monstrabunt, has enim res, ut ajunt, volucres sciunt; tum tempestatem ad mercaturam quaestuosam aptam indicabunt. Quarum rerum si participes homines facti erunt, bona quoque utentur valetudine. Quid ita?

ἢν εὖ πράττωσ', οὐχ ὑγιεία μεγάλη τοῦτ' ἐστί; σάφ' ἴσθι,
ὡς ἄνθρωπός γε κακῶς πράττων ἀτεχνῶς οὐδεὶς ὑγιαίνει.

V. 604 und 605.

Senectus vero cum sit in Olympo, trecentos annos aves, quippe quae ad summam perveniant senectutem, a se ipsis hominibus adicient, ut illis quidem regnantibus me-

lius hominibus fiat. Neque vero sacras aedes exstruere lapideas neque portis auratis occludere oportebit,

ἀλλ' ὑπὸ θάμνοις καὶ πρινιδίοις
οἰκήσουσι, τοῖς δ'αὖ σεμνοῖς
τῶν ὀρνίθων δένδρον ἐλάας
ὁ νεὼς ἔσται (V. 615 sqq.).

Adeo rebus exiguis aves istae contentae sunt, ut Atheniensium, qui fanis delectabantur magnificentissimis, haud dubie risum illae quidem virtutes moverent maximum. — Quae Pithetaerus proposuit, ea vehementer avibus probantur, ut societatem inituri sint firmissimam cum illo ad patrios, ut opinantur, honores recuperandos atque jurejurando affirment, jam non diu deos sceptra manibus trituros esse, ita pergentes V. 637:

ἀλλ' ὅσα μὲν δεῖ ῥώμῃ πράττειν, ἐπὶ ταῦτα τεταξόμεθ' ἡμεῖς.
ὅσα δὲ γνώμῃ δεῖ βουλεύειν, ἐπὶ σοὶ τάδε πάντ' ἀνάκειται.

Quae verba si et ad naturam avium levium et Pithetaeri ingenium moresque, quae ex versibus antecedentibus satis superque elucent, retulerimus, et illarum *ῥώμη* et hujus *γνώμη* admodum in dubitationem vocabuntur, ut societas ista mente inter utrosque inita vel maxime ridenda videatur. Quam vero Köchly protulit sententiam, ei non accedam. Censet enim Pithetaeri persona quasi Periclem alterum adumbrari, ut Thucydidis illa verba in hunc virum Atheniensium illustrissimum dicta in illum mihi quidem quadrare non videantur. Apud Thucydidem enim l. II. cap. 65, haec legimus: *δυνατὸς ὢν τῷ τε ἀξιώματι καὶ τῇ γνώμῃ, χρημάτων τε διαφανῶς ἀδωρότατος γενόμενος, κατεῖχε τὸ πλῆθος ἐλευθέρως, καὶ οὐκ ἤγετο μᾶλλον ὑπ' αὐτοῦ ἢ αὐτὸς ἦγε, διὰ τὸ μὴ κτώμενος ἐξ οὐ προσηκόντων τὴν δύναμιν πρὸς ἡδονήν τι λέγειν, ἀλλ' ἔχων ἐπ' ἀξιώσει καὶ πρὸς ὀργήν τι ἀντειπεῖν.* Si vero idem vir doctus, quidquam in avium consilio inesse turbarum seditionumque, negat, voluntatis singulorum, omnino rerum turpium ac malarum, quas, ut vulgo opinentur, scientes, in civitate sua effici velint, ea sententia plane probanda est; neque enim mala ista

ac turpia ullo loco aut Pithetaerus aut aves aperte profitentur. Quodsi interpretes quidam in iis, qui antecedunt parabasi, versibus illa inesse volunt, vehementer illi quidem errant intruduntque ac subiciunt opinionem temere conceptam cuilibet loco neque hujus fabulae artificiosissimae institutum perspiciunt. Prioris demum parabasis epirrhemate quaedam ab avium legibus et institutis profecta aperte docentur, ita tamen, ut res quaedam facetius significentur ac petantur. Ac profecto quis est, qui rempublicam turbarum seditionumque plenam constituere velit consulto? Athenienses isti, qui avium imagine repraesentantur, non prorsus pravi ac mali sunt, errore capti tenentur. Verum ut vehementissime eorum animi externarum rerum usu adsueti unas corporis voluptates amplectuntur, ita facillime naturam ac rationem vere humanam mittunt, ut leges, instituta, mores funditus evertantur, cum suis quisque rebus ac rationibus prospiciat itaque omnia misceri et confundi ac turbas seditionesque consequi necesse est.

Jam Epops hospites, ut in nidum suum ingrediantur, adhortatur et nunc demum eorum nomina quaerit. Pithetaero vero ingressuro occurrit in mentem, quomodo ipse alis carens volucribus familiariter utatur, sed Epops radicem quandam novit, qua comesa pennae enascantur et hac conditione ingreditur ille. Chorus autem ab Epope petit, ut lusciniam excitet emittatque suaviter canentem. Illa ut virgo venusta prodit, ut Euelpides eam osculari velit neque a Pithetaero admonitus:

ἀλλ', ὦ κακόδαιμον, ῥύγχος ὀβελίσκοιν ἔχει (V. 672),

deterreatur. Lepedissime enim eum personam abicientem poeta facit. Jam abeunt illi neque Epops redibit partibus ita transactis, ut Athenienses istos in aves introductos dedita opera adjuverit, ut foedus fieret inter utrosque.

Atque parabasis quidem, ad quam jam oratio nostra transit, cum totius fabulae instituto arctissimo vinculo

apta et connexa est neque ulla pars, ut aliis in fabulis fieri solet, a re ipsa, quae agitur, recedit. Ac primum quidem aves adeo vehementer Pithetaeri sensa et cogitata animis percepta habent, ut, quae modo ab illo acceperant, ea tanquam notiones in suis mentibus penitus positas atque infixas profiteantur. Videmus igitur, aves brevissimo tempore insitae virtutis, ut opinantur, conscientia elatas spiritus maximos sibi sumsisse, ut multitudinis rebus secundis, etsi sunt fictae, inflatae insolentia egregie exprimatur, et hanc quidem poeta penitus ex rerum veritate ipsa hausit. Hac igitur mente istae homines alloquuntur V. 684 sqq. Hesiodea deinde et Orphica doctrinis et libere et facete usae Prodico spreto novam quandam theagoniam pronuntiant, qua avium et antiquitas et potentia, quae usque adhuc vigeat, facetissime ostenditur. Neque minus lepide illustratur, qua ratione aves et homines inter se contineantur. Tempora enim anni his indicant, non facile homines quidquam illis non consultis incipiunt, denique ad totam illorum vitam avium potentia pertinet, idquod diserte eloquuntur V. 716 sqq. Quibus in versibus quae insunt facetiae, difficillime sermone patrio imitari possumus. Quo vero animo accipiendi sint, egregie exprimitur versione illa ad ingenium patrii sermonis accommodata et ad recentioris aetatis sensa conformata, qua usus est H. Köchly p. 12. Quodsi deos aves existimabunt homines,

οὐκ ἀποδράντες
καθεδούμεθ' ἄνω σεμνυνόμενοι
παρὰ ταῖς νεφέλαις ὥσπερ χὼ Ζεύς,

inquit choros in *πνίγει*, sed praesentes summam bonarum rerum copiam in illos congeremus. — In stropha et antistropha adeo conversi sunt animi, ut cogitatio prorsus contraria sit expressa. Aves enim, ubi primum ingressae snnt, eximiam quandam naturae veritatem atque integritatem exhibebant, a qua quidem sensim sensimque ita recedebant, ut humanam quandam naturam atque inge-

nium induerent, quippe quae, quidquid Pithetaerus docebat, penitus perciperent: subito cogitationibus istis, quas Pithetaerus excitaverat, missis ad naturam suam incorruptam ac sinceram redeunt. Atque in stropha quidem luscinia modos edit suavissimos a musa incitata, quacum in saltibus Pani Magnaeque Matri sacra fundit. Similiterque olores versibus ornant Apollinem in Hebri ripa insidentes, ut per aethera cantus transeat, qui quantam vim habeat, egregie illustratur V. 777 sqq. Mira quaedam integritas et sinceritas sentiendi atque cogitandi, quae ex rerum veritate ipsa hausta videtur, summaque in deos pietas, quae spirat in istis versibus praestantissimis, plurimum valent ad animi quandam penitus commoti inflammationem, ut planissime appareat, quam prava ac perversa sint ea avium studia, quae cum versibus antecedentibus, tum praecipue epirrhemate describuntur, i. e. quid avium imago sibi velit, si consideraverimus, illorum studia hominum, qui corporis voluptate capti iis, quibus pro sua natura constringuntur atque comprimuntur, legibus sublatis impotentia efferuntur. Atque adeo mire inter se occurrunt et animus iste integer, qui spirat in stropha et antistropha et mens ista turbulenta naturaeque verae rupugnans, quae a Pithetaero percepta in avibus inesse fingitur, ut luce clarius sit, eos homines, qui Pithetaeri vestigiis insistere animum induxerint, vel longissime recedere a munere hominibus a natura dato itaque a vera beatitudine, cum, quae ipsorum propria sunt, abiciant, neque, quae cupiunt, assequantur. Mihi quidem poeta et vitam illam avium integram illataque aliunde respuentem et animum istum hominum turbulentorum, qui sua natura abjecta res incertas captent, elaborata quadam concinnitate, qua nihil est artificiosius, inter se composuisse videtur. Istis vero hominibus qualis avium vita videatur, planissime ex epirrhemate et antepirrhemate elucet, quippe quibus avium leges ad homines transferantur et ita quidem, ut iis, qui istas sequuntur,

libidines satiare liceat. Epirrhemate enim spectantes, si qui jucunde vitam agere velint, invitantur ab avibus, ut ad se veniant. Quaecunque enim ex iis, quae apud homines vigeant, legibus turpia sint, sibi honesta videri, quibus quidem liceat patrem percutere, si quis vero fugitivus sit notis inustis, apud se attagenem, si quis barbarus Phryx, frigillam fore avem, si quis portas aperire voluerit, perdicem. Videmus igitur, cuivis homini vitam degere licere apud aves, improbo, fugitivo, peregrino, proditori. Antepirrhemate facete docetur, quam commodum atque jucundum Athenis ipsis esset, si Atheniensibus alis uti liceret. Quibus versibus quae aves profitentur, ea non a Pithetaero didicerunt, neque enim is ullo loco eas res significavit. Aves vero, cum penitus perceperint, quae Pithetaerus docebat, in earum mentibus talem humanitatis ac virtutis cognitionem evadere necesse fuit neque fieri potest, quin istae leges, instituta, mores, facta inter homines exercerentur, si, quam vivendi rationem Pithetaerus institui vult, ea homines uterentur, ita ut omnia hominum munera atque officia ad voluptates sensibus perceptas referrentur et conformarentur.

Pithetaerus et Euelpides, ubi istam radicem intus gustarunt, avium personis sumtis ex Epopis domo prodeunt ad opusque suscipiendum aggrediuntur. Ac primum quidem urbi, quam sunt condituri, nomen illustre quoddam est dandum, deinde dis, novis nimirum, sacra sunt facienda. Hujus loci in versibus personis distribuendis quamvis homines docti inter se dissentiant, mihi quidem id constare videtur, Pithetaerum nomina proponere eique V. 813 et 814, qui quidem optime quadrant in Pithetaeri morem factumque, cum Euelpides, ut consuevit, huic lepide respondeat, itemque V. 828, quo Minervam avibus deam tutelarem commendat, Pithetaero esse tribuendos. Hos versus unos hoc loco mihi attingere lubet, quippe qui plurimum valeant ad eum Pithetaeri animum exprimendum, quo, quod mente complec-

titur, reapse est persecuturus. Vix enim urbem istam revera est conditurus, cum ad res ipsas, quas fugere voluerit, et invitus et ignarus redire cogitur, ut a Sparta novae urbis nomen sit sumturus ac deam tutelarem ex Olympiis. Spartae vero nomen cum Euelpides aspernatur, Nephelococcygiam urbem vocare animum inducit illo vehementer assentiente. Quanquam id nomen conditoribus ipsis ridiculum videtur, ut lepidissime et ipsi urbem suam derideant hisce verbis:

ΕΥ. ἆρ' ἐστὶν αὑτηγὶ Νεφελοκοκκυγία,
ἵνα καὶ τὰ Θεαγένους τὰ πολλὰ χρήματα
τάτ' Αἰσχίνου γ' ἅπαντα; ΠΕΙ. καὶ λῷστον μὲν οὖν
τὸ Φλέγρας πεδίον, ἵν' οἱ θεοὶ τοὺς Γηγενεῖς
ἀλαζονευόμενοι καθυπερηκόντισαν (V. 821 sqq.).

Jam vero Euelpides ad aerem scandere a Pithetaero jubetur et murum exstruendum curare et explorare tintinnabulis excubitores et legatos mittere alterum ad deos, alterum ad homines, quibus rebus parum ille delectatur, ut dira Pithetaero imprecetur. Non est mirum, spes enim prorsus eum fefellit; cum Athenis decesserit infinitam quandam felicitatem vitamque a molestiis ac laboribus vel alienissimam sperans, nunc ut eam assequatur, tantum abest, ut tot res Pithetaerus curandas ei mandet haec adiciens:

ἴθ' ὦγαθ', οἷ πέμπω σ' ἐγώ.
οὐδὲν γὰρ ἄνευ σοῦ τῶνδ' ἃ λέγω πεπράξεται (V. 846 et 847.).

Hic enim jam intellexit, civibus strenue in rebus gerendis versantibus opus esse fausto reipublicae statui. Sacra vero, quae in urbibus condendis fieri solebant, cum Pithetaerus est peracturus ac deos novos invocaturus, iterum veram hominum rationem imitatur, ut in illis ad hujus sententiam conformatis jocularis quaedam licentia cernatur ac poeta diis et Olympiis et novis facete conflatis hos lepidissime derideat. Atque animus quam pius et excelsus in Pithetaero insit, satis superque

cernitur in iis versibus, ubi sacerdotem mittit, quia deos nimis multos ad sacra celebranda invitat.

Inchoaturo vero sacrificium Pithetaero poeta quidam intervenit promisso capillo et amiculo lacero suavissima fundens carmina, cum sit *Μουσάων θεράπων ὀτρηρός, κατὰ τὸν Ὅμηρον.* Ut aliquid munusculi auferat, versibus novam urbem est celebraturus. Carmina enim elegantissima et ad exemplum Somonidis composita jamdudum pepigit in Nephelococcygiam, etsi hic ipse dies, ubi Pithetaerus nomen urbi tanquam puerulo imponit, decimus est a die natali:

ἀλλά τις ὠκεῖα Μουσάων φάτις
οἷάπερ ἵππων ἀμαρυγά,

ut ait poeta iste V. 924. Jejunus idemque callidus Pithetaerum, aeriae conditorem urbis, verbis e Pindari aliquo hyporchemate in Hieronem facto ductis alloquitur petitque sibi munus. Quod, cum urbis novae conditor adhuc animo sit laeto neque urbs condenda poeta, qui eam carminibus exornet, carere possit, isti datur. Sagum enim ei largitur Pithetaerus et hoc quidem lubens accipit Musa. Sed alios insuper versus Pindari novit poeta ad tunicam comparandam et hanc quoque accipit: beneficia enim conferri oportet in poetam, ut ait Pithetaerus. His autem muneribus acceptis verum exhibet ingeniem hisce verbis:

κλῇσον, ὦ χρυσόθρονε, τὰν
τρομεράν, κρυεράν·
νιφόβολα πεδία πολύπορά τ' ἤλυθον (V. 950 sqq.).

quibus urbem novam deridere videtur, ut ad poetae mores novi aliquid accedat. Egregie sane adumbrantur istorum poetarum animi blandi, demissi, importuni, insolentes, ingrati. — Jam vero, cum poeta abiit, fatidicus quidam incedit magna cum protervitate, quippe qui res divinas prae se ferat. Pithetaero enim sacra rursus auspicaturo linguisque favere jubente oraculorum inter-

pres accurrit et haedum mactari vetat Bacidis vatis docturus vaticinium quoddam, quod aperte respiciat ad Nephelococcygiam:

Ἀλλ᾽ ὅταν οἰκήσωσι λύκοι πολιαί τε κορῶναι·
ἐν ταὐτῷ τὸ μεταξὺ Κορίνθου καὶ Σικυῶνος (V. 967 et 968),

tum primum albi velleris ariete immolandum esse Pandorae, quique primus oraculorum venerit interpres, illi danda esse et vestem puram et novos calceos et poculum vino plenum extisque ei implendam manum. Quod si fecerit conditor, eum aquilam fore in nubibus, si minus, ne picum quidem. Quod oraculum ut derideat, Pithetaerus aliud quoddam fatidici haud simile recitat, quod ipse ex Apollinis vaticiniis descripsit eoque jubetur, cum quis invocatus ad sacra se intruserit, ita agere:

δὴ τότε χρὴ τύπτειν αὐτὸν πλευρῶν τὸ μεταξύ (V. 985)

et ne Lamponi quidem parcere neque Diopithi magno. Et illud quidem genus fatidicorum sane multum valuit olim, si qua urbs conderetur; verum cum Pericles obiit, homines isti prorsus erant corrupti neque quidquam antiquius habebant quam ut suis rebus ac rationibus prospicerent, atque ita aetatis suae credulitate ac superstitione abusi cuilibet ad quamvis rem perficiendam operam offerebant, ut maximorum populo Atheniensi malorum auctores exsisterent. Pericles et ipse et posthac Alcibiades istorum insidiis petiti sunt. Inprimis hoc loco nominantur Lampo et Diopithes, quorum utrumque factionis cujusdam, quae dedita opera versata est in lite illa de Hermis violatis inlata, principem fuisse constat. [9]) Fatidico vero verberibus propulso Meto, mathematicus ille, superbe incedens in scenam prodit ad aerem tanquam terram dimetiendum. Quanquam ceteris rebus vir maxime nobilitatus hoc loco haud dubie tanquam princeps deridetur geometrarum illorum et architectorum moris novissimi, qui, ubicunque sive urbes condebantur

---

9) Cf. H. Köchly, p. 14.

sive agri distribuebantur, unde maximum ipsi fructum caperent, operam offerebant. Neque dubium est, quin ejus doctrina omnium sermone percrebruerit, quippe quae haud dubie Atheniensibus, si qui minus gnari essent istarum artium, risum praeberet, ut ex V. 1000 sqq. intelligimus; neque scio an illo ipso tempore vel maxime in omnium ore fuerit, cum constet, Metonem furore quodam pulsum omni ope atque opera enisum esse, ut, cum expeditio illa in Siciliam pararetur, filium immunem redderet militia. Sed ad rem redeamus. Meto et ipse abigitur verberibus, quoniam communi consensu placuit, omnes jactatores expellere. Adeo lepide Mathematici deridentur a poeta omnium facetissimo beneque Köchly peropportune accidere dicit, quod Mathematici nostri rudes sint literarum Graecarum, cum haud dubie, si hos versus legerent, male de poeta divino sentirent. Verum vix abiit iste, cum duo alii homines perditi prodeunt et inspector, qui judiciarias urnas ferens sorteque per fabas electus ab Atheniensibus superbe quaerit hospitum patronos et plebiscitorum venditor, sed utrumque Pithetaerus jocose verberibus abigit, neque ulla re, quin id faciat, deterretur, ne minis quidem, quae violatorum Hermarum causam redolent. Neque vero amplius Pithetaerus pati vult se sacrificantem interpellari ideoque praepropere, ut intus haedum immolet, digreditur.

Personae, quae versibus antecedentibus describuntur, quid sibi velint, si consideraverimus, nos non fugerit, eas omnes tanquam homines deperditos notari, qui bonorum civium fortunis victuri ipsi ad nullam rem honeste agendam accingantur. Eorum vero non est locus in republica bene instituta.

In parabasi altera avium chorus precibus et sacris ab hominibus sibi ut deorum numinibus oblatis gaudet; causam vero, cur divinis homines se prosequantur honoribus, interserit magnam quandam faustamque, quam habeat ad rerum naturam, vim, quae jocis nugisque non

admissis copiosissime illustratur. Tueri enim sese et quae humi nascantur et arborum fructus omne bestiolarum, quae ore voraci illa laedant, genus interimendo. Quibus in versibus quae ingenii et morum integritas et quasi innocentia inest avium, miro quodam modo libidinum excipit insolentiam, quam inesse poeta fingit in istis hominibus deperditis et communi saluti maximam importantibus detrimentum et leges a natura humana in ipsorum mentibus insitas excedentibus, qui praegressis fabulae partibus notati sunt. Neque minus dilucide in antistropha, ubi summa colorum venustate avium vita et integra et innocens et beata depingitur, quid discriminis intercedat inter avium vitam et istorum hominum abjectissimorum aviumque imitatorum, cernitur, quippe qui, ubi naturam consuetudinemque vere humanam exuerunt, avium leges ad vitam humanam vehementissime respuentem transferre velint. Id etsi jam parabasi priore est expressum, tamen hoc loco planius aves repetunt, quae quidem, sicut Pithetaerus ipse actionis progressu aliam induit mentem, et ipsae animos converterint idque revera esse factum, magis ex epirrhemate apparet. Aves enim cum iisdem prioris parabasis partibus homines perditos, ut secum vitam una degerent, adhortari viderentur, hoc loco eosdem aperte derident. Cantica vero ceteraeque fabulae partes qua ratione inter se apta colligataque sint, etsi obscurius poeta significat, nihilominus rebus diligentius perpensis nos fugere non poterit, his versibus chorum fatidici ingenio, nescio an Metonis, inspectoris, plebiscitorum venditoris excitatum petere insaniam illam, quae tum maxime Athenis vigebat, quemlibet aut impietatis in deos aut dominationis cupiditatis postulandi. Itaque cum decretis et de Diagora Melio et de tyrannis defunctis factis alia quaedam facetissime componuntur, quibus et talentum proponitur, si quis Philocratem, ut qui foedissime aves tractet, interfecerit, et illi, qui aves in caveis inclusas habent,

eas dimittere jubentur; quod si non fecerint, et ipsos comprehensos illices fore. Egregie Köchly monet, manifesto hoc loco poetam ab Alcibiade stare iisque, qui litibus illis exagitati fuerint, publicae opinioni adversantem. Antistropha chorus et promissis et minis judices adit, ut palmam sibi adjudicent, ita tamen irridens, ut haud dubie parum eorum animos, ut sibi faverent, adduxerit. Et primum quidem noctuas promittit Laurioticas nunquam defecturas in marsupiisque nidificantes nummulos edituras minutos et si quis magistratum sit adeptus ac surripere quid voluerit, accipitrem celerem se esse adjecturas, si vero quis ad coenam eat invitatus, gulam ei missuras, sin vero palmam non detulerint, lunulas faciendas curent, ne candida laena induti ab avibus inquinentur.

Sacrificio peracto Pithetaerus in scenam redit anxio animo, quod nemo dum adsit ab urbe condita; sed jam advolat aliquis festinanter laetum afferens nuntium, moenia esse exstructa, quo opere nihil esse magnificentius,

ὥστ' ἂν ἐπάνω μὲν Προξενίδης ὁ Κομπασεὺς
καὶ Θεαγένης ἐναντίω δύ' ἅρματε,
ἵππων ὑπόντων μέγεθος ὅσον ὁ δούριος,
ὑπὸ τοῦ πλάτους ἂν παρελασαίτην. V. 1126.

Quibus verbis haud dubie poeta est significaturus, urbem aeriam esse inanem atque fictam tantum animo. Sed lepidissime et cum gaudio quodam poeta versatur in describendis laboribus, quibus opus illud pulcherrimum est effectum, prudenter adhibitis avium et variis generibus et artibus a natura insitis. Et primum quidem grues lapides, quibus fundamenta substernerentur, devorabant apportabantque, ciconiae autem lateres fingebant, aquam ad aerem ferebant aves fluviatiles, fulicae vero lutum, quod anseres in pelves ingerebant. Hirundines quoque adhibebantur tanquam pueruli lutum in ore ferentes. Eaedem aves erant fabri lignarii peritissimi, pelecani rostris dolabant et sonitus dolantium erat tan-

quam in navali. Nunc moenia sunt perfecta diligentissimeque custodiuntur. Pithetaerus vero vix sibi persuadere potest, haec omnia esse vera:

ἴσα γὰρ ἀληθῶς φαίνεταί μοι ψεύδεσι,

illa mente adicit V. 1168. — Sed jam alter nuntius accurrit certiorem illum facturus, novi aliquid accidisse, deorum enim Olympiorum aliquem „modo per portas involasse in aerem clam graculis excubias agentibus diurnas.“ Jam igitur accipitrum, equitum sagittariorum, triginta millia adversus eum esse profecta et, quisquis curvos habeat ungues, discursare, strigem, buteonem, cymindin, aquilam, et lepide pergit V. 1182:

ῥύμῃ τε καὶ πτεροῖσι καὶ ῥοιζήμασιν
αἰθὴρ δονεῖται τοῦ θεοῦ ζητουμένου.

Quo nuntio accepto penitus animi commoventur et Pithetaeri et chori ingens bellum dicentis exoriri sibi cum dis adhortantisque ita V. 1190:

ἀλλὰ φύλαττε πᾶς
ἀέρα περινέφελον, ὃν Ἔρεβος ἐτέκετο,
μή σε λάθῃ θεῶν τις ταύτῃ περῶν.

Adeo facete belli exorientis depingitur apparatus. Jam vero Iris advolat, quam Pithetaerus acerrime increpat jubetque subsistere cumque interroganti, quibusnam portis urbem sit ingressa, se nescire, respondisset, exclamat V. 1211:

ἤκουσας αὐτῆς οἷον εἰρωνεύεται;

adicitque lepide, etsi dea sit, tamen perituram esse, si jure uteretur summo; idque merito fieri, hoc argumento allato confirmat V. 1225 sqq.:

δεινότατα γάρ τοι πεισόμεσθ᾽, ἐμοὶ δοκεῖ,
εἰ τῶν μὲν ἄλλων ἄρχομεν, ὑμεῖς δ᾽ οἱ θεοὶ
ἀκολαστανεῖτε, κοὐδέπω γνώσεσθ᾽ ὅτι
ἀκροατέον ὑμῖν ἐν μέρει τῶν κρειττόνων.

Ex Iride deinde ubi, quid sibi velit, quaerit accipitque, ad homines se mitti a Jove, ut eos sacra facere jubeat, aves nunc esse hominum deos eam docet. Iride vero

cum gravitate quadam divina respondente atque admonente, ne Jovis fulmine percutiatur, caveat, acerrima incenditur ira. Enimvero quod Lydus vel Phryx, homo stolidus et credulus, qui quidem minas hominibus superstitione imbutis terrorem incutientes extimescat, esse putatur, molestissime fert, ut vicissim minis Jovem maximis insequatur. Tum Iridem tanquam avem abigit. Quo facto aves vetant et deos Olympios in futura per urbem suam transire et homines femorum oblatorum nidorem hac ad deos mittere. Neque vero, quidquid Pithetaerus agit, prospere non evenit. Jam enim accedit praeco ad homines missus atque, ubi verbis honorificentissimis innumerisque illum est prosecutus obtulitque coronam aureum ab omnibus populis donatam, laetum perfert nuntium, maxima homines admiratione atque amore Pithetaerum avesque amplecti. Superioribus enim temporibus magno quodam studio atque furore Lacones imitatos fuisse, cum vero Pithetaerus aeriam condiderit urbem, summo avium earumque vitae amore eos captos teneri. Ac primum quidem, ubi mane surrexerint, tanquam aves ad pascua illos provolare, ubi plebiscita depascantur, deinde plurimos jam ab avibus nomina duxisse, tum carmina non canere nisi ea, in quibus mentio quaedam insit hirundinis aut anseris aut columbae aut certe aliquantulum de pennis; denique brevi tempore interjecto plus sexcentos illuc esse adventuros *πτερῶν* cupidos *καὶ τρόπων γαμψωνύχων*, ut acerbe addit poeta. Quo nuntio accepto animus et Pithetaeri et chori summa incitatur laetitia, qua motus hic illum cohortatur, ut pennas et musicas et fatidicas et marinas disponat advenasque acerrime intuens, qua quisque sit natura et ingenio, prudenter alis instruat. Earum vero moles a servis coacervatur. Quanquam advenarum mores, etsi cum ejus sententias secuti, tum a choro parabasi priore invitati accedunt, vel minime Pithetaero probantur, ut ab eo parum hospitaliter excipiantur.

Ac primum quidem patricida carmen quoddam canens prodit vehementer cupiens in avem se converti, cum magno quodam amore avium teneatur legum, quibus patrem necare non vetetur. Nam ejus bona possidere avet. Unde videmus, eum alterum quendam Phidippidem esse novis illius aetatis imbutum moribus. Sed apud aves alias vigere leges, magna cum gravitate a Pithetaero instituitur; in ciconiarum enim tabulis legi, si pater pullos, dum volare possint, aluerit, pullos debere vicissim patrem alere neque adeo est depravato animo iste filius, quin pareat Pithetaero armisque instructus miles in Thraciam abeat, ubi tum maxime bellum exardescebat. — Iste vix abiit, cum Cinesias, poeta dithyrambicus, advolat Anacreonteum quoddam carmen canens sibi inprimis conveniens. Atque pennis sublime elatus novos carminum modos e nubibus sumere vult, modo hanc, modo illam viam ingrediens carminum semperque novas persequens — nescio an puellas —

κρέμαται μὲν οὖν ἐντεῦθεν ἡμῶν ἡ τέχνη

i. e. ex nubibus, ut Cinesias ipse profitetur V. 1387. [10]) Neque eo melius Cinesias tractatur a Pithetaero, quippe qui non ignorare videatur, istorum hominum in republica bene instituta locum non esse. Videmus igitur istis versibus acerbissime derideri poetarum dithyrambicorum, qui illa ipsa aetate in lucem prodibant, cum orationem et verbis nimis exaggeratam et frigidam sensuque carentem, tum inprimis modos numeris solutis incedentes gravibus ac simplicibus antiquioris aetatis missis. Enimvero Graeci, cum penitus iis esset persuasum, musicam artem plurimum valere et ad puerorum animos conformandos et juvenum mores mitigandos, denique ad omnem vitam vehementer pertinere, hujus artis integritati

10) Egregie hos versus festivos vertit Köchly, p. 18:
„Denn was von Opern wirklich jetzt Glück machen soll,
Muss luftig, windig, neblig sein und blauer Dunst,
Und leicht beschwingt und stürmisch — wart' ich sing' der Eins!“



summo opere consulebant, neque igitur mirum est, Cinesiam, qui omnium maxime in isto genere rebus nobis studeret, acerbe ab Aristophane carpi. — Jam vero sycophanta quidam accedit canens et ipse, qui eo munere fungitur, ut insularum incolas in jus vocet ac lites investiget. Hac igitur mente alis uti cupit, ut pernicius in illas urbes perveniat illincque, ne praedones quid negotii sibi facessant, cum gruibus redeat. Sed Pithetaerus ejus mores corrigere conatur animumque rebus melioribus incendere: at fodere nescit iste neque omnino quidquam honesti agere vult, ne dedecori sit genti suae, cui accusandi mos est avitus. Quare ad istum delatorem, cum ad res honeste agendas non adducatur, propellendum alas corcyreas Pithetaerus adhibet. Istud autem genus, cum poeta nunquam fere occasionem praetermittat, quin hanc pestem, qua nihil erat perniciosius, notet, hoc quoque loco gravissime perstringit. Nunc vero alios advenas exspectare Pithetaerus non vult jubetque alas domum reportari. Chorus quoque libentissime patitur, istos a Pithetaero rejici, quin etiam eorum moribus excitatus similia studia acerbissime notat res quasdam Athenis actas deridendo idque quatuor carminibus, quorum duobus hic actus, tertio et quarto insequentis actus partes terminantur. Et primo quidem et tertio duo homines Athenienses illo tempore admodum famosi petuntur et Cleonymus, arbor illa, quae

τοῦ μὲν ἦρος ἀεὶ
βλαστάνει καὶ συκοφαντεῖ,
τοῦ δὲ χειμῶνος πάλιν τὰς
ἀσπίδας φυλλοῤῥοεῖ (V. 1478 sqq.);

— his enim verbis ejus et ignavia satis superque nota et opera, quam liti navavit de Hermis mutilatis intentae, carpuntur — et Pisandrus, qui animum, qui ex vivo decesserat — maxima enim erat ignavia — carminibus elicit ab inferis; sed ejus loco Chaerephontis, hominis acerrimi, animus eum occupat; nimio enim quodam animi ardore

in Hermarum causa eum versatum esse, poeta indicare velle videtur. [11]) Altero vero carmine Orestes heros ejusque similes celebrantur, qui familiarissime hominibus utuntur interdiu; at noctu summo cum periculo iis occurras, nisi velis verberibus percussus pallio spoliari. Quarto denique carmine *ἐγγλωττογάστορες* illi *πρὸς τῇ κλεψύδρᾳ* versantes deridentur, quippe qui lingua metant, serant, vindemient, ficus legant simillimi illi quidem sycophantae istius a Pithetaero verberibus propulsi.

Jam Prometheus, ne Jupiter se conspiciat, vehementer timens, prodit, certiorem ut faciat Pithetaerum, quam sint dubiae deorum res. Umbella tectus loqui ausus: periit, inquit, Jupiter. Aerem aves cum munierunt, femorum nidor sublime non jam fertur, ut dii esuriant Olympii atque, qui supra habitant, Illyrii bellum illis se illaturos minitentur. Quamobrem, pergit Prometheus, brevi legatos illuc adventuros ad paciscendum, caveat vero Pithetaerus, ne pactionem faciat, nisi sceptrum Jupiter reddiderit avibus atque ipsi matrimonio junxerit Basileam, quae qualis sit ille hisce verbis declarat V. 1537 sqq.:

καλλίστη κόρη,
ἥπερ ταμιεύει τὸν κεραυνὸν τοῦ Διὸς
καὶ τἄλλ' ἁπαξάπαντα, τὴν εὐβουλίαν,
τὴν εὐνομίαν, τὴν σωφροσύνην, τὰ νεώρια,
τὴν λοιδορίαν, τὸν κωλακρέτην, τὰ τριώβολα.

Bene distinguere mihi videtur Köchly, cum dicat, sceptro tanquam summi imperii signo avibus concesso significari, summam rerum penes populum esse in republica nova, Basilea vero tradita potentiam usumque verum Pithetaero deferri. Id enim fieri necesse est, si quis, ad quam rationem iste princeps et auctor rerum novarum imperium conformari vult, hanc ipsam sequitur. Speciem enim salutis publicae quamvis Pithetaerus prae se ferat, tamen ejus imperium, quod quidem a cupiditate quasi

11) V. Theodori Kock notam ad V. 1564.

ex fonte sit repetendum, in dominationis superbiam converti necesse est. Et ita sane aliqua quidem ex parte Pithetaerus nostrae aetatis Imperatoris simillimus esse videatur, ut Köchly censet, ita tamen, ut minime poeta ejus imperium civibus commendet ac suadeat, id quod certissime cognoscitur ex iis versibus, ubi de nidore loquitur Pithetaerus avium in populum rebellium carnium suaviter assarum. Prometheus vero cum abiit non minus ridicule, quam prodiit, deorum legati accedunt, Neptunus, Hercules, Triballus. Atque hic quidem, omnium rudis morum et qui ne pallium quidem ferre didicit, multitudinis licentia, quippe quae in Olympum ipsum jam irrepserit, legatus est delectus. Hercules vero cum vehementius ira commotus utique illum, qui ausus est deos intercludere, velit strangulare, opportuno tempore dulces avium rebellium carnes Pithetaero parante extemplo nidoris suavitate pulsus animum ferocem lenit. Jam agere incipiunt pro sua utrique natura et Neptuno benevole avibus offerente aquam pluviam quam plurimam neque Pithetaero quidquam petente nisi quod justum sit, unum sceptrum Jupiter avibus reddat, qua conditione ad prandium legatos invitat atque Hercule suffragante Neptuno resistente Pithetaerus luculenter commoda, quae diis contingant, avibus infra in terra regnantibus, illustrat: sub nubibus enim latentes si qui pejeraverint, corvum advolantem eorum oculos effossurum, milvum vero, si quis votum non reddiderit, poenas esse capturum atque ita vel Neptuno, ut ad conditionem istam accedat, persuadet. Sceptro vero concesso Pithetaerus homo admodum versutus alteram profert conditionem, cum poscat, ut Basileam virginem matrimonio Jupiter sibi jungat. Qua tradita deorum imperium nullum jam fore Neptunus cum intelligat, continuo de pace actionem est abrupturus; sed carnibus dulciter tostis nimis delectatur Hercules; an ob unam mulierem di bellum gerant? Atque Neptuno illum admonente, omnis eum hereditatis paternae Jove

mortuo expertem fore imperio avibus tradito, luculenter Pithetaerus demonstrat, fore, ut notho ne minima quidem pars obtingat secundum leges, si vero a se steterit, gallinarum lac ei se praebiturum promittit. Itaque ipsius patri iratus Pithetaeri causam sequitur ille atque Triballi admodum hebetis suffragio Neptunus vincitur. Quo facto pennis sublime fertur ad coelum Pithetaerus, qui Basileam virginem accipiat. Ita eos Pithetaerus vincit potiturque rerum. Quid? Num, quod expetivit, est assecutus? Videamus primum, qui sint, quos vicit ille. Et Neptunus quidem hominis nobilis ingenium refert idemque est animo parum et prudenti et firmo atque uni suae causae prospiciens, quam ut augeat, ad rationem quamlibet confugit, quin etiam cum avibus pactum est initurus. Hercules autem, in quo perpaululum inest excelsi ac divini, una cupiditate movetur; et Triballus rudis atque agrestis, quid agatur, vix intelligit neque, quid sentiat, eloqui potest. His personis mihi quidem vel minime di videntur derideri, sed illi, qui civitatem regunt atque leges, instituta, mores, religiones, denique quidquid est honestum, quo hominum societas quasi vinculo contineatur, a singulorum arbitrio ac libidine tuentur. Atqui qua ratione munere suo funguntur? Cupiditate incitati unis suis rebus rationibusque serviunt, quas ut muniant atque augeant, homines de plebe vel sordidissimos sibi adjunxerunt. An non eadem cupiditas ac libido, qua Pithetaerus movetur, in his dis inesse videtur? Prometheus quidem vix sensit, male deos rem gerere, cum ad hostes transit, unde majorem se esse capturum fructum sperat. Atque ipsius Neptuni virtus aliquid habet dubitationis. Hercules vero fructu, qui vel brevissimus est, movetur. Eos igitur deos Pithetaerus vicit, qui idem sentiunt atque ipse. Qua re poeta mihi significare videtur, quam perversa sint, quae ille moliatur, cum, quid rationem a Pithetaero institutam consequatur, planissime appareat.

Nuntius advenit gratulans avibus, quae regis potentissimi principatu magnifico augeantur. Qui mox ipse accedit sponsam adducens summa venustate praeditam vibransque Jovis fulmen. Chorus autem nuptias carmine haud dissimili atque olim Parcae Jovem et Junonem matrimonio junctos ornat celebratque fulmen et tonitru, quo Pithetaerus nunc terram concutit. Qui ubi aves ad nuptiarum solemnia vocavit sponsamque ipsam, ut saltaret, est cohortatus hisce verbis V. 1759:

ὄρεξον, ὦ μάκαιρα, σὴν
χεῖρα, καὶ πτερῶν ἐμῶν
λαβοῦσα συγχόρευσον,

chorus saltans abit. In hac vero extrema parte non gravitatem inesse, sed jocum, ex Pithetaero et Jove inter se compositis intelligimus. Incredibilis, quaedam animi fraus ac temeritas et principis et avium notatur, quippe qui optimam reipublicae formam se constituere opinentur, a qua quam longissime recedant. Quanquam actionis progressu eam mentis sanitatem Pithetaerus exhibuit, ut, si diligentius, isto rerum novarum studio quid sit assecutus, animo complexus sit, resipiscat atque intelligat, quid egerit rei perversae, necesse sit.

CAPUT II.

De personarum, a quibus primae tenentur partes, ingenio et moribus.

Jam oratio nostra et ad personarum, a quibus primae aguntur partes, mores diligentius notandos et chori rationem accuratius illustrandam dclabitur.

Atque ingenio et consuetudine cum vehementer Pithetaerus et Euelpides inter se consentiant, tamen discrimen haud leve intercedit. Et Pithetaerus quidem ubi ab Epope accepit, aves jucundissimam agere vitam sine marsupio ac libere in hortis alba sesama et myrti

baccas et papaver et sisymbria depasci, subito, quid sibi velit, perspicit intelligitque, istam veram perfectamque vitae speciem esse, quae jam dudum animo suo sit obversata. Adeo incitatur cupiditate ac libidine, quibus quidem ejus mens ita perturbetur, ut, quae sit propria hominis vis ac natura, prorsus eum fugere videatur. Avium igitur vitae otium et jucunditas cum vel maxime ad perfectam illam, quam expetit Pithetaerus, felicitatem pertinere videantur, illa vehementissime amplectitur penitusque sensu percipit, ita ut vitam avium similem summa colorum venustate animo depingat. Neque vero quidquam aliud hac eximia avium imagine mihi quidem poeta significare videtur, nisi Pithetaerum, qua ratione humanis muneribus atque officiis fungatur, prorsus oblitum eam vitam, qua securo ac tranquillo animo summis ac plurimis voluptatibus sensibus perfrui liceat, sectari. Quanquam turpe aliquid ille effici non vult, immo quasi innocentia earum, quae ex avium vita manant, voluptatum captus tenetur. Atque consilium Pithetaeri si ita animo comprehenderimus, aliquid lucis ad hanc rem obscuriorem aperiendam attulisse nobis videmur.

Athenis igitur discedit ille, quid sibi propositum habeat, paene ignarus et obscuro quodam desiderio ac turbine incerto correptus id unum agit, ut, cum rebus, quales nunc sunt, vel minime delectetur, novis studeat cumque, quid moliretur, parum diligenter consideraverit, fore, ut id sibi contingat, et ipse levissime sperat et eandem spem temerariam in Euelpidis quoque animo excitavit, qui quidem toto, ut dicitur, pectore ducem sequi videatur. Ac Pithetaerus tanquam exemplum describitur hominis novicia disciplina educati Sophistarum, ut qui adeo cupiditates ac libidines satiare aequales docerent, ut continentia, patriae caritas, antiquae disciplinae, morum, legum amor funditus everterentur. Quas virtutes se abici velle etsi nullo loco aperte ille profitetur, tamen cujusvis instituti, legis, moris eversionem necessitate qua-

dam cupiditatem, qua quidem animus ejus totus incenditur, consequi, quis non videt? Certe veteres homines ratione a Pithetaero instituta omne vinculum, quo societas humana arcte cohaereret, tolli ac vel maxime abhorrere illam quidem a natura vere humana, penitus percipiebant; nam illorum in ipsis sensibus pro sua virtute illud erat inclusum, singulos homines nequaquam vivere posse, nisi praesidio civitatis alicujus munirentur atque et ipsi patriae mores, instituta, leges, religiones summo amplecterentur amore. Atqui Pithetaerus, etsi ad unam corporis voluptatem omnia refert, minime vult evertere, quidquid est honestum, neque ab omni parte est malus ac scelestus, verumquid, si effecerit, quod animo complectitur, consequatur, non intelligit. Itaque et ipse eo ipso tempore, cum consuetudinem cum avibus est juncturus, recte sentit, nequaquam sibi licere avium modo libere ac solute vagari, ita ut aves omnes humano more urbe condita consociare consilium capiat. Haud dubie ut poeta cupiditatem ac libidinem aetatis suae notat Pithetaeri persona ficta, ita pariter fraudem quoque animi ac temeritatem deridet, qua omnes illa aetate Athenienses et inprimis duces populares teneri videbantur; hac enim impulsi ad quamlibet rem suscipiendam accedebant, ut parum diligenter animo perpenderent, si quid molirentur, ut id efficeretur, quae ratio esset ineunda. Et ea proclivitas universa illius aetatis ut planissime appareat, urbem aeriam condentem facit Pithetaerum. Ad quem jam oratio nostra redit. Is igitur cum homo vere Atheniensis, quales quidem illa aetate erant, a poeta notatur, tum praecipue homo popularis, ut certissime cognoscemus, si eos locos, ex quibus maxime ejus ingenium elucet, contulerimus.

Ac primum quidem minime ille animo praesenti atque audaci est destitutus. Avibus enim atrociter minitantibus forti occurrit animo, quasi sciat, fore, ut verbo res dirimatur eaque pericula, quae ab avibus vehementer

commotis imminent, pernosse videtur, cum haud dubie in Atheniensium concionibus saepe gravius pressus sit. Pace autem inita cum, quid sibi velit, copiosius exponere atque illustrare jubetur, tum vero hominem, cui vita forensis in naturam vertit, se exhibet. Jam penitus, ut, quid sentiat, expromat, animo commovetur nec jam mentis vim incitatiorem cohibet ac vocem illam profert, qua omnium animi vehementissime commoveantur: certe quidem ducem popularem eximie depinxit poeta; et res ipsas, quae tunc agebantur, si pariter atque Athenienses ipsi pernossemus, certe major vis inesset in versibus istis praeclarissimis. Amplitudine igitur quadam propositi ubi aves perculit ac maxima, ut videtur, ingenuitate ac liberalitate illarum animos sibi conciliavit, ut res, quas aves ipsas penitus velle perspexit, efficiant, adducere conatur. Et Jovis quidem imperium avium esse dilucidè ostendit, quippe quae dis ipsis prius exstiterint, atque etiamnunc multa inveniri vestigia, quibus appareat, quanta fuerit illarum pristina potentia ac majestas: ita causas et rationes omnes, quibus istae impellantur, prudentissime inter se connectit gravissimeque cum rerum praeteritarum claritate atque amplitudine dedecus componit praesens. Atque copiosius deinde, quid consilio suo assequi velit, cum explanet, incredibili quadam sophistaque optimo digna ingenii celeritate avium metum, ne ipsas divina numina non existiment homines, adimit atque summa colorum venustate miram quandam depingit omnium bonorum externorum copiam atque abundantiam ex avium regno nascentem. Qua autem ratione perfectam quandam felicitatem describit, inde planissime apparere mihi videtur, in republica constituenda omnia ad voluptates sensibus perceptas Pithetaerum referre neque, cum virtute aliqua, quae abdita in ejus mente latet, ad aves consociandas impellatur, perspectum habere, quibus rebus rempublicam instituat institutamque tueatur.

Jam vero ubi Pithetaerus ad res, quas grandes ac

magnificas animo finxit, efficiendas accedit, urbi novae nomen inditurus ad Spartam urbem delabitur; hoc vero nomine ab Euelpide spreto illa quidem recte nominatur Nephelococcygia, quod nomen conditoribus ipsis ridendum videtur, perinde ac si vere sentiant, fore, ut illa urbs fingi tantum neque unquam perfici. Deam deinde tutelarem, cum deos sit regno expulsurus, Minervam proponit; denique vero cum ad urbem ipsam exstruendam accedit, penitus perspicit, quod velit, se assequi non posse, nisi, quidquid virium in hominibus sit, exerceatur. At vero quantum recedit ab otio illo atque jucunditate vitae omnibus molestiis laboribusque vacuae et quae avibus suavissima obtigit. Adeo animus ejus est conversus, quanquam id quidem ipse deprehendere non videtur. Nam cum parum diligenter, quid esset, quod vellet, quaque ratione id assequeretur, animo sit complexus, rebus ipsis casuque temere regitur. Neque minus recte Pithetaerus intelligit, omnes istos homines, poetam, oraculorum interpretem, Metonem similesque, qui commodis, quae urbs nova praebeat, perfrui velint neque quidquam afferant, quo salutem publicam augeant, rejiciendos esse. Nuntio vero urbis aedificatae allato, quod mente excogitavit, id esse effectum vix sibi potest persuadere, quaeque accepit, mendacio simillima ei videntur, id quod penitus ex hominum Pithetaeri similium ingenio est haustum. Sed tamen ex illo nuntio ejus superbia atque insolentia incrementa satis magna capit, ut jam deorum pugnam subeat. Nam etsi supra ad virtutem atque honestatem antiquam redire videbatur, tamen id consilio non fecit, sed rebus ipsis impulsus, neque omnem mentis sanitatem est nactus, immo quam rationem instituit, eam secutum summam illam felicitatem, quam ab initio hujus fabulae animo finxit, se esse assecuturum etiamnunc arbitratur, ut aves, cum haec dicant V. 1318, ubi homines quam plurimos ad urbem suam accessuros acceperunt:

τί γὰρ οὐκ ἔνι ταύτῃ (πόλει)
καλὸν ἀνδρὶ μετοικεῖν;
Σοφία, Πόθος, ἀμβρόσιαι Χάριτες
τό τε τῆς ἀγανόφρονος Ἡσυχίας
εὐάμερον πρόσωπον,

quod penitus iste sentit, eloqui videantur. His enim verbis nihil aliud poeta significare videtur nisi vitae, quam aves agunt, summam jucunditatem voluptatumque innocentiam, quam ad homines transtulisse Pithetaerus sibi videtur.

Iterum vero superior quaedam Pithetaeri natura certius cernitur illis locis, ubi ad urbem novam incolendam homines accedunt, penitusque perspicit ille hic quoque advenas istos excipere sibi non licere, nisi eorum animi ad virtutem atque honestatem conformentur atque hoc sensu hominum perditorum et abjectorum genus istud repellit, quod quidem parricidae, Cinesiae, Sycophantae exemplis egregie notatur. Nam magna quadam cupiditate ac libidine impulsi legum, institutorum, morum, qui vigent, vim vehementer illi quidem imminuunt ac labefactant, ut omne, quo communitas aliqua hominum efficitur, vinculum divellatur. Omnes igitur istos repellit Pithetaerus neque intelligit, ipsius quasi disciplina educatos et ratione a se instituta, quam revera etiamnunc toto, ut dicitur, pectore amplectitur, invitatos eos accedere. Ad voluptates enim sensibus percipiendas haud dubie vitam omnem ille quidem revocavit neque, quid rationem istam consequeretur, satis diligenter consideravit. Si vero, cum actionis progressu mala ac turpia, quae ab ista ratione proficisci necesse est, certius cernuntur, ea rejiciuntur, ne id quidem vera humanae dignitatis conscientia Pithetaerus facit, sed obscuro quodam sensu motus. Neque igitur mirum est, si eo ipso tempore, cum eum mentis compotem factum putamus, iterum ad priorem animi fraudem ac temeritatem retro volvitur. Ubi enim deos eo deduxit, ut et avibus sceptrum et Basileam

virginem ipsi redderent, a coelo rediens tanquam Jupiter alter in scenam prodit. Atque ita, quod expetebat, assecutus sibi videtur neque intelligit, sui tantum simillimos esse victos neque minus facile fore, ut imperium a se institutum corruat, cum spectantium, qui acriore judicio res percipiant, animi ad maximum risum atque hilaritatem errore isto excitentur. Sed tamen actione progrediente eam mentis sanitatem exhibuit Pithetaerus, ut verisimillimum videatur, si diligentius res gestas comprehenderit, eum facile adduci, ut sibi persuadeat, quod molitus sit, id ad irritum redigi. Artificiosissime haud dubie Pithetaeri ingenium ac mores poeta expressit. Atque haec quidem persona sane vehementer a se ipsa dissentit adeoque inter res honestas et turpes fluctuat, ut pariter virtutibus ac vitiis conflata videatur, ita tamen, ut neque turpia effici velit consilio, sed quam rationem init, ad eam adducatur animi fraude ac temeritate, neque cum honeste agit, sciens id faciat, sed rerum ipsarum, quae aguntur, necessitate quadam coactus eademque illa ratione efficitur, ut ne extrema quidem actione ad plenam atque integram mentis sanitatem redeat; hoc igitur ingenium etsi multiplex est et parum sibi constans, tamen, quaecunque Pithetaerus agit, apte inter se congruunt ac totum quiddam efficiunt et ita quidem, ut hanc personam ex rebus ipsis ac natura quadam vere humana hausisse et expressisse poeta videatur. Ea vero personae mobilitas atque inconstantia, quae re vera ridenda videtur, prorsus ad res comicas nostrae aetatis adspirat. Nativo autem quodam modo cum Pithetaerus ad virtutem redit, ita ut gravissime homines istos perditos ad honestatem instituat, illud quidem prorsus antiquorum simplicitati convenit, attamen eandem gravitatem nostris poetis comicis haud facile adhibere liceat.

Diligentius Pithetaeri ingenium et mores si consideraverimus, summa perfectae notationis laude dignum esse poetam nos putare existimo; equidem non possum poe-

tam divinum summa admiratione non amplecti. Quare occasionem praetermittere nequeo, quin libri cujusdam, quem scripsit M. Rapp, [12]) hoc loco mentionem faciam. Existimator enim admodum intelligens ille quidem sibi videtur, quanquam mea quidem opinione neque fabulae alicujus rationem neque personarum ingenium perspectum habet, ut vera Aristophaneae quidem artis ratio prorsus eum fugere videatur. Si paucos libri, quem v. d. scripsit, locos legerimus, satis superque nobis erit persuasum, judicio parum acri eum usum esse, ita ut opera sententiae, quam protulit, diluendae supersedere possimus: de una perfecta Pithetaeri notatione admoneo, quam si recte perceperimus, vel minime h. v. d. opinionem nos probaturos existimo. [13])

Jam vero ad Euelpidis mores accuratius describendos oratio pergit. Inter Euelpidem et Pithetaerum, quamvis inter se sint similes, tamen dissimilitudo quaedam intercedit. An non alius videtur statim ab initio Euelpides inepte graculum de via sciscitans, alius Pithetaerus diras mittens voces? Et ille quidem homo depingitur de plebe levis et mobilis, pariter facile sperans ac perturbatus, inter sensus diversissimos fluctuans, quippe qui nihil opis in se ipso habeat; quibus vero rebus animo moveatur, minime retinet, sed, quidquid sentit, eloquitur itaque omnes

---

12) Geschichte des griechischen Schauspiels vom Standpunkt der dramatischen Kunst. Tübingen 1862.

13) Cf. p. 196, ubi haec legimus: „Droysen, der es zuerst gegen Schlegel gewagt hat, Euripides als Dichtergrösse wieder neben Aristophanes zu stellen, hat es auch zuerst näher anzugeben gewagt, wie mangelhaft Aristophanes seine Stücke ausgeführt hat. Es ist ihm bei einigen gelungen, einen Gedanken durchzuführen, weil der Gedanke unglaublich einfach und gering war. In den meisten Stücken entwirft er einen Plan und ist unfähig ihn festzuhalten; er vergisst ihn wieder (!!); als der wahrhafte Possenreisser gilt ihm immer der Moment mehr als das Ganze und er gibt häufig seinen Stücken einen Schluss, der das Gegentheil von dem beweist, was er im Anfang sagen wollte (!!!).

istas causas, quibus impulsi et ipse et P. Athenis discesserint, repetit, quo fit, ut egregie, quo animo affecti id fecerint, cognoscamus. Atque homo vel loquacissimus semper primus dicit, de re qualibet loquitur, cum Trochilo igitur, cujus adspectu vehementer perturbatur, id quod parum dissimulat, confabulatur, cum Epope quoque sermonem orditur, pulchras Athenarum triremes ostentat. Idemque, quotiescunque occasio offertur, nugatur et jocatur, quidquid grande et magnificum Pithetaerus ipse profert, in ludibrium vertit, quanquam id quidem non acute vel acerbe facit, cum homo vere plebejus se ipsum pariter rideat; attamen quasi homo clariore, ut videtur, doctrinae a Sophistis profectae luce collustratus omnes res et divinas et humanas parvi facit, quippe quas animo humillimo inteatur. Animo vero praesenti ac forti prorsus est destitutus cumque avibus atrociter minitantibus in periculum devocatur, prorsus perturbatur atque fides, quam duci habere videtur, magnopere imminuitur, ut in rebus dubiis, ubi auxilio illi opus est, vehementius in eum invebatur. Tandem vero animo ducis fortissimo tranquillus factus ex maximo timore se colligit. Spe autem maxime temeraria, quam Pithetaerus excitavit, pulsus Athenis decessit heliastaque esse desiit, cum vitam multo jucundiorem sectetur. Ex Epope igitur, qui quidem non ignoret, quo animo sit affectus is, qui ne pauxillum quidem habeat nummorum, est quaesturus, num urbem aliquam noverit, „cui molliter, ut in villosis stragulis, incumbat“, Athenis non majorem, sed commodiorem neque quae, ut Epops suspicatur, optimatium imperio tenetur, a quo vel maxime abhorret, nam vel vita, qualis Athenis ipsis agitur, parum libera solutaque esse ei videtur. Immo id vitae genus expetit, ubi quoque die ad epulas nuptiales ipse cum suis vocetur. Cum vero Pithetaerus, etsi ejus mens ita errore captus tenetur, ut parum prudentia ac moderatione uti videatur, aliquid tamen consilii ac rationis habeat neque omni virtute atque honestate sit

destitutus, qua quidem ductus ad rempublicam quandam constituendam, quamvis perverse id faciat, accedat, Euelpides cupiditate humillima ac sordidissima incitatus unis suis rebus rationibusque prospicit neque ad ullam communionem adspirat. Atque quanta sit animi mobilitate atque inconstantia, ut cupiditate motus novam quoque civitatem deserere animum inducat, si quem fructum privatum ac proprium se capturum speret, vehementissime a poeta illustratur. Civium futurorum quasi exemplum est. Verum enimvero eos homines republica constituenda arcte conjungere conjunctosque coercere, quid est difficilius?

Sed jam ad chori rationem accuratius illustrandam pergamus. Avium imagine quid poeta intelligi velit, admodum sane ambiguum videri potest. Universe autem dictis cum non multum proficiamus in fabula percipienda, chori ingenium qua ratione in lucem prodeat actionis progressu, breviter repetamus.

Suavitate audita vitae, qua libera ac soluta et curis laboribusque omnibus vacua animis aves perfruuntur laetissimis summarum participes voluptatum, penitus Pithetaerus commovetur atque ita vehementer capitur, ut istius vitae genus perfecta illa forma esse, qua jam dudum tenetur, ei videatur. Atque ita avium vitam poeta persequitur, ut puram quandam atque integram eam summa colorum venustate ante oculos ponat iis versibus, quibus Epops e somno lusciniam excitat. In istis enim vera quaedam natura spirat atque expressa est, ut mira quadam jucunditate animi nostri perfundantur et eum quidem sensum consilio quodam poeta movere videtur. Maxima deinde varietate numerorum, qui insunt in iis versibus praestantissimis, quibus ad concionem aves advocantur, avium genera incessumque poeta imitari videtur cumque accedunt, et discursitantes videre et audire fritinnientes nobis videmur. Animi vero mobilitas, levitas, diffidentia, temeritas quantae quamque verae sunt! Quid

quod istarum animus mirum quantum in Atticum ingenium converti videtur? Epops nonne hominis popularis partes suscipit? fortiter multitudini occurrit, animos incitatiores regit, curiositate quadam mota sedat iram vehementiorem, ut pacem ineant aves cum advenis. Et aves ipsae cum non ignorent, hominem esse dolosum, tamen aliquid utile, quod ipsarum mentem hebetiorem fugerit, eum fortasse animadvertisse ratae facile adducuntur, ut Pithetaero fidem habeant. Jam vero reges esse aves cum ille ostendit dis ipsis natu majores et olim quanti factae fuerint, nunc quantis afficiantur contumeliis atque injuriis, plane illustrat, chorus penitus commotus isti vindici salutem suam committit. Itemque facile avibus persuadetur, cum ipsae urbem condiderint atque regnum a Jove repetierint, homines, si novorum numina deorum agnoverint imperiumque amplexi sint, omnium rerum externarum summa copia atque abundantia usuros, ut, imperio, qua ratione Pithetaerus vult, instituto, omnes fructus, quos inde redundare temere putant, se ipsas capturas sperare videantur, atque ita homines levitate et cupiditate avium simillimi quique vitae, quam aves agunt, jucunditatem quodammodo ad se ipsos transferri volunt, in verarum avium locum succedant. Avium enim ubi vitam puram atque incorruptam poeta adumbravit, quid imagine ista splendidissima intelligi velit, sensim sensimque significat. Jam quo modo ad concionem aves convocantur, ut Athenienses in memoriam revocemus, vehementer admonemur, eximie deinde levitas, quam aves exhibent, ingenii adhibetur ad animum populi Atheniensis levem, suspiciosum, mobilem, credulum exprimendum. Cum vero etiam atque etiam humanam mentem induentibus a Pithetaero persuadetur, magnam quandam felicitatem ex suo imperio ad homines manuturam, in Athenienses ipsos converti videntur, qui quidem sperarent, ex imperio Pithetaeri ratione instituto, ut quasi avium more summis perfruentibus corporis voluptatibus omnibus

curis ac molestiis missis quam jucundissime vivere sibi liceret, perfectissimum vitae beatae genus assecutos fructum vel maximum se esse capturos. Et haec quidem felicitatis species penitus hausta et expressa videtur ex plebis ipsius animis, ut Pithetaerus excitet tantum, quod in populi sensibus abditum latet, disertissimeque, cum sit dux, quod penitus ille sentit, eloquatur. Itaque facile aves adducit, ut ista ratione rempublicam constituere animum inducant. Eadem enim animi fraus ac temeritas, qua Pithetaerus et ipse tenetur, in iis inest reque vera rempublicam ista ratione constitui posse arbitrantur, ubi, quae cum maxime vigeant mores, instituta, leges, quippe quibus singulorum natura ac voluntas nimis coerceatur, cum communi omnium salute ex sua sententia plane commutentur, neque perspiciunt, ita omni virtutis atque honestatis vi sublata adeo vehementer singulorum cupiditates ac libidines in lucem esse prodituras, ut respublica bene instituta omnis excludatur, id quod minime aves volunt. Immo novum reipublicae genus effici cupiunt, ita tamen, ut omni voluptatum genere perfrui ob eamque rem moribus ac legibus singulorum naturae veteribus magis convenientibus uti liceat. — Verum parabasis prioribus locis ubi aves, quae Pithetaeri doctrina imbutae sentiunt, pronuntiarunt, subito ad veram naturam redeunt vitamque strophae et antistrophae versibus persequuntur adeo puram ac sinceram, ut sensus istis versibus expressus mire excipiat cogitationem illorum animo informatam, qui quasi avium vitam ad homines transferri volunt, ita ut vehementer humanis cupiditatibus ac libidinibus illa quidem depravata videatur. Atque epirrhemate vel minime novae reipublicae mores, instituta, facta aves mihi profiteri videntur. Nam Pithetaerus avesque id unum spectant, ut voluptatibus quam maximis ac plurimis perfrui liceat itaque leges, quae antiquitus vigebant singulosque gravius premere videbantur, novis quibusdam, quae singulorum naturae magis respondeant,

compensari volunt, neque vero usque adhuc ullus locus inveniri possit, unde appareat, scientes aves res malas et turpes effici velle. Facetius igitur hoc loco significare videntur, rationem a Pithetaero institutam quid consequatur, quasi jam judicio in rebus perspiciendis utantur acriore, eosque, qui eandem illam sequuntur, derideant. Atque quo longius actio progreditur, ad quam quovis loco mentem chorus conformat, quoque propius Pithetaerus in republica constituenda ad veram hominum naturam accedit, eo magis chorus se dignitatis humanae conscium exhibet eoque acrius eos deridet, qui rationem a se institutam amplexi ad urbem accedunt novam. Similiter in Nubibus quoque Strepsiades delictorum poenam luit suorum; sui enim animi fraude ac temeritate ad mores depravandos adducitur, quamvis, ut hoc faciat, a Nubibus ipsis incitari videatur, quod aperte illae dicunt 1458 sqq. Hac quoque fabula extrema homines, qui quam plurimi illa ipsa aetate exstiterunt, perditi atque scelesti acerbissime ab avibus perstringuntur, qui nihil aliud agant, nisi quod aves et ipsae, ut omnia ad cupiditatem ac libidinem satiandam referant, pariter Pithetaerus homines istos abjectissimos, qui ipsius quasi disciplina imbuti adhortationibusque invitati accedunt, rejicit, verae dignitatis humanae magis sibi conscius factus. Quanquam ad istos mores atque instituta hominum animi conformentur necesse est, si ad unam voluptatem perfruendam omnia revocantur ideoque quasi ex fonte, quidquid illa aetate mali ac turpis accidit, poeta judicio quodam acri usus inde repetere videtur.

Atque illos locos, ubi hominum scelestorum studia, quibus omnem hominum societatem imminui ac labefactari necesse est, carpuntur, si hac mente acceperimus, vel minime largiemur, embolia quaedam esse, quae in hanc fabulam sint inclusa, penitusque nobis persuasum esse existimo, et has et ceteras fabulae actionisque partes arctiore quodam vinculo inter se contineri, ita ut ne-

cessitate quadam studia ista hominum abjectorum ratione a Pithetaero avibusque instituta excitari nobis videantur. Sed tamen omnes isti deridentur ac rejiciuntur, adeo actionis progressu animi videntur conversi. Quanquam cum Pithetaerus integrae mentis compos non fiat, ne chorus quidem veram humanae naturae conscientiam in lucem profert, sed aeque atque ille errore captus tenetur, ut planissime mihi elucere videtur ex parte hujus fabulae extrema. Atque chorum imaginem non esse avesque veras repraesentare, vel minime largiar; constantius vero hanc imaginem hac fabula, quam similem ulla alia poeta persequitur neque igitur, quaecunque proferuntur, ad res ipsas, quae Athenis agebantur, sunt revocanda, sed vestigia tantum quaedam tenenda, quibus ad interpretandam fabulam insistamus.

Hoc loco paucis tangere lubet, quae subtiliter Theodorus Roetscher de chori vi ac natura disseruit. Censet enim v. d.,[14]) eorum hominum aves esse imaginem, qui, quibuscunque rebus respublica continetur, eas dissolvi velint scientes, ut pro se cuique vitam degere liceat. Cui sententiae etiamsi, qua ratione supra rem disserebam, aliqua ex parte accedere videar, tamen admodum dissentio. Avium enim vitam prorsus alia mente poeta accepisse mihi videtur. Animi pravitatem atque improbitatem ipsam in choro inesse ut putemus, neque imagine neque ea, quae intelligitur, re adducimur. Immo a summa ut videtur avium vitae suavitate profectus sensim sensimque Athenienses levissimos voluptatumque cupidissimos, non malos ac perditos, subjecit poeta. Ista sane mente, ut ad voluptatem omnia referant, imperium commutant aves, neque vero omnem virtutis atque honestatis vim everti volunt, qua si careat, respublica nulla esse potest. Quodsi eo deducuntur aves,

---

14) Aristophanes und sein Zeitalter, Berlin 1827. p. 379.

ne intelligunt quidem. At vero imperium etsi sua ratione volunt constitui, aliquod tamen volunt. Ut igitur non intelligunt, ista ratione pessima quaeque ac turpissima excitari, ita, ubi primum illa quidem exoriuntur, haud cunctanter aspernantur. Minime igitur probare possum, si vir doctissimus censet,[15]) religiones, instituta, leges, denique omnem virtutis atque honestatis vim istos, qui avium imagine intelligantur, funditus eversa velle idque epirrhemate lepidissime docere. De qua parabasis parte quid sentiam, jam supra dixi idque unum addo, chorum partibus jam leviter mutatis, quid rationem a se ipso institutam consequatur, facetius hoc loco significare videri, minime vero aves quasi leges atque instituta imperii novi expromere, ita ut hebetior quoque homo intelligat, ista ratione rempublicam omnino non posse constitui. Neque huic sententiae v. d. accedere possum censentis, statim ab initio chori naturam in contrarium esse convertendam, etsi actionis progressu mihi quoque mentem ille immutare videtur. Illa enim sententia minime quadrat in summam laetitiam atque hilaritatem comicam et si censuerimus, ita graviter atque austere spectantium animos sensisse, omnem ludi levitatem atque hilaritatem evertimus.

Quam chori rationem esse Roetscher statuit, ex ea eveniunt, quae de partibus, quas Pithetaerus tenet, disputavit. Quodsi, poeta quod sentiat, istum expromere, v. d. dicit, caute id est accipiendum; vir enim doctus propterea, quod Pithetaerus interdum

---

15) L. l. p. 380: „Wie die Götterwelt ihrem Bewusstsein als eine gegen sie durchaus nichtige erscheint, so auch die sittliche Welt des Staates und seiner organischen Gliederung. Die vollkommene Umkehrung des durch Gesetz und Sitte Bestimmten, wie die Zertrümmerung aller Grundlagen des Staates und seiner geheiligten Einrichtungen, sprechen sie auf das scherzhafteste aus und finden sich darin vollkommen befriedigt und heimisch."

ad virtutem honestatemque redit, poetae causam illum agere, censere videtur; sed revera rationem poetae sententiae prorsus contrariam Pithetaerus sequitur, id quod ex argumentatione nostra satis elucere puto. Neque magis probare possum, si censet v. d., ut, quidquid sit honestum, aboleant, avibus ab isto persuaderi. Pithetaerus quid velit, sane planius perspicit, cum sit dux, verum rationem a se institutam quid consequatur, avibus non magis intelligit et fore, ut omnis virtutis atque honestatis vis funditus evertatur, ne suspicatur quidem, minime vero consulto, id ut fiat, agit. Actionis autem progressu, si vir doctus dicit, plane contra quid evenire atque ille et voluerit et speraverit, quam rerum agendarum rationem ironiam, ut hac voce utar, vocat, etsi huic sententiae accedo, tamen non plane ea mente id facio, qua vir doctus ironiam accipi vult, cum illa quidem nec ad perfectam artis rationem nec ad naturam animi veram revocata videatur; statuere enim et scientem aliquem quid mali ac turpis facere et continuo eundem hominem summa virtute atque honestate praeditum se exhibere, minime recte fieri videtur. Verum Pithetaerus magno quodam errore captus tenetur, qui quidem sua ratione homines fortunatos reddere velit eademque illa nolens ad perniciem devocet; ironia autem haec est, ut ignarus ab ista ratione recedere actionis ipsius progressu et ad eum, quem fugere volebat, rerum statum redire cogatur, ita ut plane contra quid eveniat ac volebat. Sed vir doctus minime strenue atque congruenter ironiam, quam statuit, persequitur, neque enim Pithetaeri consilium ad irritum redigi, sed antiqua virtute atque honestate mediocriter resistente, plane id, quod ille velit, effici censet. [16])

---

16) L. l. p. 386: „In dem versteckten und auch wieder verschwindenden Gegensatze der substantiellen Gesinnung im Chor und in Pithetaerus ist das zwar noch glimmende, aber bereits



C. Wieck, qui et ipse hujus fabulae instituto explicando operam navavit,[17]) quod idem fere, quod Rötscher, sentire videtur, cum per ironiam actionem progredi et ipse dicat, de hujus viri docti sententia pauca quaedam afferam. Res igitur, in quibus tractandis comoedia versetur, ubi vir doctus a populi imperio repetiit, a philosophorum doctrina quadam parum subtiliter, ut videtur, percepta profectus de actionis comicae ratione quaedam dusputat.[18]) Ac primum quidem omnem ac-

---

unter der Asche vergrabene, alte Princip der Sitte zur Anschauung gebracht worden. Indem er Alles vor das Forum dieser Vogelwelt zieht und die entlegensten und heterogensten Gegenstände in den Kreis seiner Betrachtung bannt, bezeichnet der Dichter damit die absolute Macht dieser Welt, der nichts mehr heilig und ehrwürdig. Dieser unendliche Leichtsinn vollendet sich dem Anschauenden endlich in der Ausgleichung mit den Göttern, wodurch Pithetaerus die früher dem Zeus angehörende Macht empfängt. Damit ist aber das einzelne Subject als der absolute Herr von Allem positiv ausgesprochen, indem in dasselbe aller objective Gehalt zurückgeht und gegen die Subjectivität nichts auszuhalten im Stande ist, da sie allein als das Unbewegliche in allem Bewegten und Verschwindende übrig bleibt. Also hat der Dichter dies Gemälde des Leichtsinns und der Auflösung seiner Welt aufgefasst, wogegen auch das alte Princip nicht mehr Widerstand leisten kann, da es bereits von dem Bewusstsein überwunden und in den Strudel der Willkür hineingerissen worden ist.“

17) Ueber die Vögel des Aristophanes, Merseburg 1852.

18) „Wenn der tragische Held, als ein an sich vernünftiger, nicht ohne ein ernstes sittliches Streben gedacht werden kann, und der Dichter daher dessen Gesammttendenz nur in der Einheit einer Handlung zu concentriren hat, so fehlt dagegen der verworrenen, träumerischen und in Widerspruch mit sich selbst verwickelten Unvernunft des komischen Helden ein irgendwie bestimmtes ernstes Ziel. (!) Der Dichter hat es ihm daher zu leihen und natürlich nur dies, was sie (die Unvernunft) in folgerechter Consequenz ihres Strebens sich als solches selbst setzen müsste. (!!!) Das Unvernünftige ist schon in sich selbst das Unpersönliche und darum Todte und desshalb bringt der Dichter seine Wichtigkeit auch meist (!) nur auf umgekehrte Weise zur Erscheinung, indem

tionem comicam prospere evenire, v. d. censere videtur. At vero hanc rationem ab avium exitu male percepto petitam ad omnes transfert fabulas, quae quomodo progrediantur atque eveniant, vir doctus minime perscrutatus esse videtur. Et si prospere evenit actio, id est, si personae, quod expetunt, assequuntur, quomodo fiat, ut se perverse agere, sentiant, id quod idem ille v. d. statuit,[19]) perspicere non possum. A se ipse dissentire videtur. Sed vir doctus ut ita censeret, his rebus adductus esse videtur: primum ab hujus fabulae exitu profectus omnino comoediam hac ratione procedere arbitratur; deinde recte sentire videtur, quanquam id quidem nullo loco dilucide profitetur, Pithetaeri victoriam non esse veram, sed fictam, ita ut, quod ille assecutus sibi videtur, ad irritum redigatur, tum actionem comicam aliter atque tragicam evenire recte ratus, id prospere fieri debere perperam censet, denique ironiam in comoedia ita adhiberi censet, ut, quidquid dicatur, mente prorsus contraria esse intelligendum putet, a qua interpretandi ratione homines docti recte quam maxime abhorrent. Ironiam istam qua mente Wieck intelligi velit, certissime ex ea, qua alterius parabasis stropham et antistropham interpretatus est, ratione cognoscimus.[20]) Mihi quidem v. d., quae sit ironiae comicae,

---

er ihm sein Scheinleben bewahrt und das erträumte Gut wirklich gewinnen lässt.“

19) „Die Unvernunft gleichsam durch die List (sic!) der Vernunft so zu ihren äussersten Grenzen geführt und den Contrast beider anzuschauen genöthigt, fühlt sich zuletzt in ihrer eisenfesten Behaglichkeit und Selbstgenügsamkeit dennoch gestört und gezwungen, den Wahn von Vernünftigkeit, mit dem sie sich geschmeichelt, aufzugeben.“

20) „Dieser Schlusschor steht in nächster Beziehung zu dem in der Scenerie Auseinandergelegten und sagt so im Grunde dasselbe aus, nur mit dem Unterschied, dass, was bis jetzt als Unglück ziemlich offen und erkennbar zur Schau gestellt war, der Umkehrung der Komödie getreu nun als übergrosses Glück ge-

ut ita dicam, vis ac natura, de qua infra copiosius disputabimus, minime perspectum habere, videtur.

CAPUT III.

Actio qua ratione ad exitum progrediatur.

In avibus peculiaris quaedam actio exstat, qualis in nulla alia fabula Aristophanea invenitur, neque tamen adeo a communi comoediae ratione recedit, quin justam illam quidem ac legitimam esse demonstrari possit. Quod ut faciamus, altius nobis est repetendum.

Comoedia igitur res inanes, vanae, pravae, malae, turpes notari solent, denique quidquid a rerum veritate ac natura quam longissime recedit, Aristophanea vero praecipue ii errores, perversitates, flagitia, scelera, quibus mores atque instituta, quae antiquitus vigebant, imminuebantur ac labefactabantur. Ab ea enim virtute atque honestate, qua majores in gerendis rebus publicis utebantur, cum reipublicae pernicie sua aetas quam alienissima poetae omnium praestantissimo videbatur. Atque omnes res istas pravas etiam auctas et exaggeratas poetae comici fingunt, qui quidem, cum alii poetae res pulchras ex omni praestantia rerum conflatas exprimant, pessima quaeque ac turpissima adeo soleant cumulare, ut, si cum bonis et honestis rebus contuleris, quam inania et vana illa quidem sint, planissime appareat, quo fit, ut maxime videantur ridicula. Sed ad fabulas Aristophaneas transeamus tractandas. Actionem igitur

---

priesen, den Gegensatz nur um so schneidender macht. — Abermals neues Anpreisen des Vogelbräutigamslebens, wo man sonder Gefahr im Winter des Flausrockes entbehre und im Sommer gegen den Sonnenstrahl geschützt in schattigen Laubgängen weisse Myrthen nasche. Offenbare Persifflirung des Barfüssler- und Sanscülottenlebens der durch Arbeitsscheu in Armuth gerathenen Plebs. !!!

comicam, quam tota fabula poeta divinus persequitur, ita instituit, ut is, qui primas agit, aut poetae ipsius quasi sententiam amplexus boni aliquid atque honesti efficere velit, cum ii, qui contraria volunt, hac ipsa ratione ab illo instituta maxime ridendi videantur, aut ille ipse mentem ita pravam exhibeat, ut turpe aliquid et inane agere animum inducat, sed iis, quae rationem perverse institutam consequuntur, rebus ad mentis sanitatem integram rationemque poetae ipsi probatam redire cogatur. Itaque duo actionis genera in fabulis Aristophaneis exstant, et alterum quidem, ut paucis mentionem inchoem earum, quas ante aves editas docuit poeta, fabularum in Acharnensibus et in Pace inest. Atque illa fabula conscripta Aristophanes pacem ut qui maxime suadet, ut tandem aliquando populus ex malis emergat maximis viriumque laetissimarum incrementa capiat. Pax enim una adjumentum affert maximum ad civium et fortunas amplificandas et ingenia excolenda atque illa inita laborum fructum percipere licet civibus summa cum hilaritate ac laetitia neque est verendum, si quando opus sit, ne isti pro patria vitam nolint profundere. At bellum, quod propter se ipsum geritur ab hominibus levissimis et abjectissimis, quippe qui uni ipsorum utilitati serviant, vel maxime respuit poeta, nam illo quidem vel summa rerum prosperitas absumitur. Enimvero dementis est, si quis velit bellum tanquam justum civitatis statum continuari atque huic bello ex singulorum cupiditate ac libidine tanquam ex capite profecto dedita opera adversatur poeta. Illud igitur ipsum, quod ei optimum videtur, Dicaeopolin sentientem atque efficientem facit, ita ut ille poetae ipsius causam suscipiat planeque ex ejus sententia agat itaque consentaneum est, splendidissimam illum victoriam exercere. Et Dicaeopolin quidem, ut paucis rem ipsam attingamus, agricolam mente sana et integra praeditum, rerum vehementer afflictarum admodum piget, cum probe intelligat, populum ipsum

ab hominibus abjectissimis parumque anxiis de communi salute adeo a via recta abduci, ut nemo nisi homo vesanus de pace loqui audeat, ob eamque rem ultro sibi uni et uxori et liberis triginta annorum inducias, quae quidem ambrosiam et nectar redoleant, cum Lacedaemoniis paciscitur atque bello et aerumnis solutus rus it ad Liberalia solemniter agenda. Jam vero Acharnenses accurrunt, „duri senes, iligni, immites, acerni, qui Marathone pugnaverunt“ et Lacedaemoniis infestissimi ob vites excisas, proditorem lapidibus collectis persecuturi. Dicaeopolis vero iis persuadere conatur, Lacedaemonios non omnia mala effecisse esse censendos, utrimque esse peccatum, atque ut penitus perspiciant, quam leves et ridiculae hujus belli causae sint, ad meretrices invicem raptas illas quidem revocat. Jam chori alteram partem in sententiam suam adduxit, altera vero tum demum conciliatur, ubi vidit, quanta beneficia e pace percipere liceat. Jucundissime autem et facetissime belli et pacis rationes insequentibus fabulae partibus describuntur, praestantissime extremis, ubi Lamachus, homo ille belli amantissimus, maximis discrueiatus doloribus vulnere accepto e proelio reportatur, cum Dicaeopolis ebrius factus cum meretricibus duabus in scenam prodeat summa hilaritate ac laetitia exsultans, ut lepedissime appareat, quam contraria sint, quae ex ratione et a Dicaeopoli et a Lamacho instituta eveniant. Atque quae mala ac perversa poetae videntur, cum gravissime et acerbissime ea perstringat, id quod a genere vere comico quam longissime recedere videtur, tamen illa gravitas ac severitas nimis magna et ubertate lepide faceteque dictorum et personis vere comicis quaeque ad rerum et naturae veritatem ac vigorem quam proxime accedunt et mira rerum inter se pugnantium consociatione obscuratur atque imminuitur. Atque actio ipsa fabulae partibus haud difficulter inter se connexis recta simplicique ratione progreditur.

Eadem fere ratione fabulae, quae Pax inscribitur, procedit actio, ut magna quaedam similitudo et instituti et progressus et rerum condicionum inter has duas fabulas intercedat. Sed tamen pacis et belli rationes minus acerbe inter se componuntur. Poeta id potius spectare videtur, ut fructum, qui e pace percipitur, copiosissime illustret, cum belli ratio ea de causa conferatur, ut diversitas magis appareat, quasi Athenienses ex plurimis maximisque laboribus animos colligere et relaxare voluerint. Jucunditas igitur ac suavitas laeta quaedam et ad Bacchanalia accommodatissima omnibus in hujus fabulae partibus spirat atque expressa est. Et in actione quidem et rerum condicionibus etiamsi agrestiores quodammodo sensus inesse videantur, tamen videre licet, praestantis ingenii vi inurbanos quoque ludos nugasque meras ad elegantiam quandam efferri posse. Actio vero in priore fabulae parte magis viget, quam in altera, quanquam ibi quoque loci jucundissimi et laetissimi, etsi minus sunt concitati, inter se conjunguntur. Atque in hac quoque fabula is, qui primas agit, Trygaeus, poetae causam tuetur itaque pariter ac Dicaeopolis superior discedit. Et primus quidem fabulae locus, ubi servi scarabaeo cuidam voracissimo cibum praebent et herus deinde ipse illi insidens ad coelum sublime effertur, haud dubie maximum excitavit risum. Trygaeus enim novo quodam modo insanit totumque diem coelum suspiciens hiante ore increpat Jovem interrogans, quid Graecis fieri velit, atque recta via ad illum ipsum vult pergere. „Tenues autem scalulas cum conscenderet pedibusque et manibus nitens in coelum scandere conaretur, praecipiti casu cervices paene defregit.“ Jam vero Aetnaeo cuidam scarabaeo maximo tanquam Pegasulo insidens in aerem tollitur. Ad Jovis autem aedes cum ille pervenit, deos in abditissimum coeli recessum emigrasse, a Mercurio accipit, iratos Graecis, quippe qui, quem locum di antea obtinebant, cum Bello obtinendum

dederint, itemque audit, ab hoc Pacem in antrum profundum esse injectam lapidesque multos supra ingestos. Jam vero Graecos, quotquot sunt, Trygaeus convocat, ut sumtis ligonibus et vectibus et restibus adsint proeliisque soluti Pacem omnibus caram in lucem protrahant. Chorus autem prodit saltando, quanquam id non vult, verum propter magnam quandam voluptatem, cum ipse se non moveat, crura ipsa saltant. Atque Mercurio adjuvante gentes Graecae funibus lapidem sunt deducturae, sed male opus procedere videtur, Lamacho obstante, Argivis, qui quidem „bifariam mereant stipendia", fabris aerariis aliisque, agricolis autem fortiter enitentibus tandem opus peragitur atque Pax, Opora, Theoria emergunt. Jam civitates reconciliatae inter se confabulantur ac rident. Mox agricolae quam citissime in agros evolant. Trygaeus vero Oporam in matrimonium ducit et Theoriam senatui reddit. Hae fabulae partes ad summam pacis felicitatem effusa quadam laetitia illustrandam a poeta adhibentur.

Altera vero rerum agendarum ratio, qua quis stolidus perperam aliquid peragere vult, sed actionis ipsius progressu eo deducitur, ut, quam perverse agat, certissime cognoscatur, inest in Equitibus, Nubibus, Vespis. Et res quidem, quas his fabulis poeta est complexus, quam brevissime attingamus, ut, qua ratione unaquaeque progrediatur, planius percipiamus. Atque in Equitibus duo prodeunt servi, quibus est herus „feris moribus, fabas esitans, cerebrosus, senex morosus, Demus Pnycensis." Is vero servum emit, coriarium quendam Paphlagona, qui est calumniator pessimus, ut illi quidem mori quam huic parere malint. Verum mente mero irrigata oracula dormienti surripiunt, quibus planissime, quomodo ipse pereat, dicitur. In illis enim haec leguntur: primus stuparum venditor quidam imperium tenebit, eum subsequetur alius venditor pecudum, qui et ipse interimetur a coriorum venditore quodam rapaci atque clamoso, huic

succedet alius miram quandam artem exercens, isiciorum venditor. Is vero non est quaerendus, sed ultro accedit aliquis haud dubie divinitus missus. Athenarum ducem fortunatarum eum appellant, sed is intelligere non potest, quid sibi velint: „dic mihi, inquit, quo modo ego, qui isiciarius sum, vir fiam!" „Ob id ipsum, respondet ille, fies magnus, quia malus es et unus e foro itemque audax." Quoniam ex malis sit natus, pergit ille, neque ingenua et liberali doctrina imbutus, magnopere a natura in rebus gerendis eum adjuvari atque augeri, neque enim reipublicae administrationem aut in hominem doctum aut bene moratum quadrare, sed in rudem et scelestum. Jam descendunt in certamen Paphlago et Isiciarius, huic Equitibus opem ferentibus. Jam statim ab initio Isiciarius clamore, impudentia, conviciis superior discedit. Quo facto ad senatum concurrit uterque, ubi ille vehementissime istos conjuratos criminatur. „Jam acerbe senatus intuebatur frontemque corrugabat", cum Isiciarius laetum affert nuntium, nunquam, ex quo bellum ortum sit, apuas viliores fuisse. Continuo vultus sereni fiunt dimittiturque celeriter senatus. Jam vero apud Demum ipsum rem sunt acturi. Sed hic quoque Paphlago ipsius artibus petitur calumniandoque impudenter, sordide blandiendo, oraculis falsis prolatis, cibis, quos largitur, dulcissimis victoriam exercet splendidissimam Isiciarius atque conciliat sibi Demi gratiam. De Paphlagone est actum. Extrema vero fabulae parte Isiciarius sive Agoracritus, quod nomen inde sibi indit, et ipse mente prorsus conversa prodit et Demum sive Populum decoctum pulchrumque ex turpi factum producit. Talis enim rursus factus est Populus antiqua specie recepta, qualis antehac fuit, qua tempestate cum Aristide et Miltiade epulabatur. — In hac fabula prima ratio, quam pravam atque improbam poeta persequitur, per se ipsa procedit suisque incrementis adolescit, ita tamen, ut Athenienses, quo imperio isto populari deducerentur, certissime cog-

noscere potuerint ex hominibus istis facetissime notatis moribusque ac factis, quae sordidissima ac turpissima isti actionis progressu exhibent. Atque Isiciarius quasi Paphlagonis sive Cleonis imago est adeo aucta atque exornata, ut turpius et foedius quid cogitari non possit. Hoc igitur superato ultro partes ille, quas sustinere videbatur, abicit emergitque civis probus et honestus cum verisimilitudine atque adeo necessitate quadam. Nam ad eam pravitatem atque improbitatem reipublicae gubernatores cum essent progressi, fieri non potuit, quin et ipsi et populus, ista ratione rempublicam administrari non posse, intelligerent; itaque recte et hic et Isiciarius convertitur. Atque etsi concedendum videtur, cum ratio perversa per se ipsa in lucem prodeat, magna cepisse incrementa poetae comici artem, tamen non negamus, et personarum notationem esse minus perfectam et hilaritatem ac laetitiam, qualem in comoedia inesse par est, propter odii ac summi doloris acerbitatem parum apparere.

Jam ad Nubes pergamus. Strepsiades, qui primas sustinet in hac fabula, de aere alieno propter filium equorum studiosissimum facto cogitans atque usuris, quae brevi sunt solvendae, exagitatus dormire non potest. Jam vero, cum per totam noctem sit meditatus, viam invenit, quam si iste erit ingressus, ipse salvus erit. Filio igitur Socratis domunculam monstrat additque, homines ibi esse meditationibus deditos et qui duobus utantur sermonibus meliore et pejore et ita quidem, ut hic, etiamsi injustissima dicat, vincat. Quem si filius didicerit, quaecunque debeat, horum ne obolum quidem se esse soluturum. Filius vero cum obtemperare recuset, ille ipse, cum aetate sit provectus, tamen scholam istam frequentare animum inducit. Libenter a Socrate excipitur. At vero cum mente sit hebetiore parumque acute doctrinas percipiat subtiliores, rursus dimittitur. Jam vero filium in scholam adducit, quem ut in suas partes trahant, auctores ipsi disciplinae et antiquioris et recen-

tioris, λόγος δίκαιος et ἄδικος, contendunt. Hic vero cum adolescentes doceat cupiditatibus libidinibusque servire atque etiam, quidquid mali ac turpis faciant, dicendo tueri ac probare, facile Phidippidi, ut suam doctrinam amplexus se sequatur, persuadet. Atque brevi tempore interlapso illam quidem penitus perceptam habet, ita ut vir sit factus. Pater vero maxima perfunditur laetitia, cum ejus et colorem et obtutum Atticum intuens cognoscat, jam illum quasi natum esse et ad negandum et ad contradicendum. Atque ita nimia fiducia incitatus illos, qui pecunias creditas repetunt, male excipit. Mox vero pater e domo prorumpit filio subsequente ac verberante, atque hic quidem se juste id facere etiam argumentis probat atque firmat: „Specta vero, inquit, gallos et alias bestias, quomodo patres suos ulciscantur. Attamen quid differunt a nobis illi, nisi quod decreta non perscribunt?" Pater vero ne aegre ferat, quod illa perpessus sit, se matrem quoque percussurum verberibus filius dicit. Jam vero penitus perspicit ille, quanto errore captus in istam scholam filium deduxerit, atque vehementissime ira incitatus Socratis domum incendit. — Negari non potest ad majorem quandam perfectionem hanc fabulam esse perductam. Rerum enim perverse agendarum ratio non tanta cum odii acerbitate, quanta in Equitibus, sed remissius itemque copiosius a poeta describitur, quo fit, ut et actio placido ac prope molli gradu procedat et personarum notatio, si minus Socratis, at Strepiadis certe, ad artem elegantiorem sit accommodata et hujus quidem animus verius convertatur. Progressu enim actionis ipsius cum verisimilitudine atque adeo necessitate quadam eo deducitur Strepsiades, ut animi fraude ac temeritate perspecta mentis plenae atque integrae rursus compos fiat.[21])

---

21) Sententiae, quam A. Boehringer — Ueber die Wolken des Aristophanes. Karlsruhe 1863. p. 25. — in medium protulit, nullo pacto accedere possum. Haec enim vir doctus dicit:

Sed jam ad Vespas, fabulam elegantissimam, oratio nostra delabitur.

Duo servi vigilias agunt, ne heri sui pater, qui intus inclusus tenetur, foras exeat, morbo enim peculiari laborat, quem haud facile quis suspicatus sit. Insanit enim judicandi cupidine, „et gemit, si non in primo sedeat judicum subsellio; noctu autem somni ne tantillum quidem videt; si vero pauxillum connivere coepit, tamen noctu quoque mens volitat illic circa clepsydram.“ Herus autem, ut morem istum abiceret, cum persuadere non potuisset leniter dictis, Aeginam in insulam eum secum duxerat, sed multo mane ille aderat ad cancellos. Domo vero cum deinde eum exire non jam paterentur, per cloacas et foramina ille quidem elabebatur ob eamque rem postremo totum atrium retibus obduxerunt. Et nunc ipsum senex ille, cui Philocleo nomen est inditum, omni modo effugere conatur Lycumque dominum invocat, qui quidem iisdem rebus atque ipse delectatur „perpetuis reorum lacrimis et lamentis.“ Bdelycleoni vero, qui est filius, accurrenti, ut illum retrahat, Vesparum chorus Philocleonis mente simillimus, qui interim in scenam prodiit, vehementer minitatur. Tandem vero choro assentiente pater et filius in certamen descendunt conferuntque sermonem, alter alteri persuasurus, Philocleo, quam jucundum sit judicare, Bdelycleo, quam suave vitam agere splendidam ac delationibus litibusque vacuam. Atque ille, quantos fructus ex judicando percipiat, enumerat, quorum paucos quosdam addimus: et primum quidem supplices ad pedes judicum se abiciunt sontes flebiliterque lamentantes, alii paupertatem suam deplorant eaque, quibus premuntur, mala dicendo augent atque cumulant,

---

„Wenn von poetischer Gerechtigkeit die Rede sein soll, so tritt diese in unserer Komödie eben darin hervor, dass der Held derselben, indem er in seiner Thorheit beharrt (?), sich dem heiteren Gelächter der Zuschauer preisgibt.“

alii fabellas quasdam Aesopeas narrant, alii facetias proferunt ad risum movendum, alii liberos adducunt, quorum voce flebili judicum animi moveantur; si vero artifex quidam scenicus in judicium vocetur, is non absolvitur, priusquam locum quendam e tragoedia aliqua praestantissima petitum recitaverit, et quod jucundissimum est, judicibus rationem non reddentibus justa et injusta facere licet, itaque homo potentissimus et ditissimus et beatissimus sibi videtur. Bdelycleo vero omnia ista jucunda ficta esse atque judices ipsos maxima premi servitute acerbissimeque ab illis, qui civitatem regant, irrideri, ita luculenter demonstrat, ut choro de sententia sua penitus persuadeat. At Philocleo, etsi vehementer commotus est, tacet, res suavissimas illo promittente, si judicis munere se abdicaverit. Agnoscere videtur, quantopere insanierit. Sed extemplo mores mutare nequit ideoque filium rogat, ut res jucundas sibi polliceri disinat. Furor vetus denuo exoritur, sed tamen, ut unis familiaribus jus dicat, tandem ei persuadetur. Jam Heliaeam imitantes facetissime litem intendunt cani cuidam, qui caseum Siculum e culina surreptum comedit. In hac lite prima judicis duri animus emolliri videtur absolvitque paene ignarus canem, id quod ipse vel aegerrime fert. Jam vero Philocleo, cum invitus pallium suum exuat, pretiosis induitur vestibus, ut elegantius vivere incipiat. Quo facto cum „molli et delicato motu“ corporis incedere docetur jamque altiores sumit spiritus atque hominum ingenuorum sermones exercet. Ad convivium abeunt. Atque summa cum petulantia ac laetitia maxime effusa tibicina convivis clam abducta omnibus, qui obviam ierunt, verberatis redit, ne nomen quidem litium libenter audit. — Personarum notationem ad summum perfectionis gradum extulit poeta hac fabula composita, cum Philocleonis mens ita convertatur et conformetur, ut ad rerum veritatem quam proxime accedat neque quidquam praestantius inveniri possit, quam qua ratione judicis duri et judi-

candi cupidine una incensi animus, in quo, quidquid humani est, aut obscuratum aut exstinctum videtur, depingitur: aegre mores iste abicit, sed tandem ad plenam atque integram humanitatem revocatur, ut ex summa hilaritate ac laetitia, quae in extremis fabulae partibus expressa est, cognoscere licet. Et mihi quidem haec fabula admodum perfecta esse videtur, ut quid sibi velint illi viri docti, qui secus de ea existimant, perspicere non possim.

Summa vero praestantis ingenii vis cernitur in Avibus: cum ingenuitate quadam et lepore ac festivitate omni acerbitate atque asperitate libera solutaque cum persona, a qua primae aguntur, notetur, efficitur, ut illam vere comicam, qua nihil praestantius esse potest, poeta expresserit: non ea enim improbitate ac pravitate, ut sciens omnem virtutis atque honestatis vim funditus everti velit — quod si facit, ne sentit quidem — Pithetaerus incitatur, verum fraude quadam ac temeritate animi; novissimae enim aetatis doctrina imbutus cum moribus atque institutis gravioribus et molestioribus missis naturae convenientius vivere cupiat revocetque omnia hominis munera ad unam voluptatem, imperium tamen quoddam est constituturus. Ac summo poeta est usus artificio, qui quidem finxerit, Pithetaerum, quid rationem a se institutam consequeretur, ne intelligere quidem: ita enim non homo malus atque scelestus, sed stultus ridendusque videtur, quoniam pariter ac nos ipsos eum, qui quidem eadem mente sit praeditus, sentire arbitramur, quam perverse agat. Sed id ut sentiat, tantum abest, ut maximo captus errore vehementer speret, quod animo complectatur, id se esse effecturum. Praeclarissime vero ut poeta Pithetaeri ingenium et mores illustraret, ideo factum est, quod ex rerum veritate istam personam acri judicio usus duxit, ita ut illa quidem ex humana natura ipsa hausta atque expressa videatur, atque ex ingenio et moribus ad naturae veritatem accommodatissimis magnam quandam

universae actionis ad concinnitatem perfectionem, ut omnes fabulae partes apte inter se congruant ac totum quiddam efficiant, manare, est consentaneum.

Sed ad rem ipsam transeamus. Egregie Pithetaerus, ubi, quod ingenio et naturae suae congruentur convenienterque animo complectitur, dicendo expressit, cum, quod sentit, est effecturus et pessima ac turpissima quaeque, quae ex ista ratione tanquam a capite fluere necesse est, apparent, illis quidem exclusis atque spretis ad antiquam virtutem atque honestatem, quanquam id quidem non sentit, redire non dubitat itaque a ratione a se instituta quam longissime recedit. Atque eam rerum agendarum rationem, qua plane contra quid evenit, atque quis expetit, ironiam quandam vocamus. Quae notio quid sibi velit, admodum sane ambiguum videtur pro eo, ut vehementer viri docti inter se dissentiunt. Itaque copiosius rem explicare conabimur.

Sunt, qui non solum actionem universam, verum etiam singulas fabulae alicujus partes sententiasque ad ironiam revocent et ita quidem, ut, quidquid dicatur, plane contraria mente atque dicatur, accipiendum esse censeant. Quam rationem si in fabulis Aristophaneis interpretandis sequeremur, quam longissime sane a vera sententia, quae inest in illis, aberraremus. De sententia, quam C. F. Wieck in medium protulit, jam supra diximus. Quamobrem alii interpretationem illam, quae per ironiam fit, prorsus a fabulis Aristophaneis explicandis removeri volunt, sed id quidem non rectius. Duo enim ironiae genera prorsus misceri et confundi videntur, quae et proprie et latiore sensu dicitur. Atque illa quidem aliquid mali vel turpis vel perversi laudari atque exornari videtur, cum revera reprehendatur, ita ut is, qui loquitur, plane aliquid contrarium, atque sentit, eloquatur idque sciens, quo certius cognoscatur, quod laudet, id quam perversum sit et ridiculum. Et hoc genus facete dicendi C. Kock, qui v. d., hac ratione fabulas Aristophaneas esse interpretandas ne-

gat, intelligi vult.[22]) Ac profecto haud ita multis Aristophaneis locis invenitur, haud scio an saepissime in Equitibus. Vesparum quoque iis locis, ubi, quantos fructus ex judicando percipere liceat, Philocleo illustrat, ironia inesse videtur, sed non ea est, quae proprie dicitur. Illa igitur mente, qua C. Kock, si ironiam intellexerimus, ne concedemus quidem, ut huic viro docto videtur, fieri posse, ut universa fabulae alicujus actio ita per ironiam progrediatur, ut, quidquid dicatur, in contrarium convertatur. Et tamen actionem comicam quamlibet per ironiam quandam procedere contendimus, sed prorsus aliam atque illam, quae proprie dicitur. Et haec quidem ironia altera sensu latiore est accipienda. Similitudo quaedam sane intercedit inter haec duo genera atque hoc ab illo nomen traxit. Illa igitur ironia si quis utitur ita, ut sciens laudabile quid proferat, cum alterum quendam hominem stolidum reprehendere velit, verba mente plane contraria accipienda sunt, haec vero altera ironia non verbis inest, sed quasi rebus ipsis, quae aguntur, non verba igitur sunt convertenda, sed res ipsae convertuntur et ita quidem, ut actione progrediente necessitate quadam rerum ipsarum plane contrarium quid eveniat atque ii, qui rem aliquam moliuntur, volunt atque expetunt, qui quidem aliquid mali vel pravi vel perversi efficere volunt, verum rebus ipsis et ad mentis sanitatem et ad virtutem atque honestatem redire coguntur, ut, quod primo mente complexi sunt, iis ipsis, quae rationem a se institutam consequuntur, rebus docti, se perverse agere, illud missum faciant. Nequaquam vero verba ipsa, quibus actio ista exprimitur, ita convertenda sunt, ut alia mente ac videntur dici putanda sint. Prorsus nihil convertendum est, nisi forte poeta ipse ironia propria interdum utitur, sed actione ipsa, quidquid pravi quis sibi proposuit, ita convertitur ac tollitur, ut neque, quod quis

22) Die Vögel des Aristophanes. Leipzig 1856. p. 10.

stultus expetit, id assequatur et planissime appareat, quam perverse homo iste stolidus egerit, sive spectantes uni id sentiunt, sive is, qui perversi quid molitur, et ipse. Atque per hanc ironiam actionem comicam quamlibet procedere necesse est, qua quidem mali vel perversi quid deridetur et certe haec rerum agendarum ratio inest in Equitibus, Nubibus, Vespis, si quidem, id quod haud facile quisquam negabit, quae Cleo, Strepsiades, Philocleo sibi proposuerunt, ad nihilum recidunt. Quid? Ad eandem rationem hanc quoque fabulam esse revocandam nonne censeamus? Minime vero, ut videtur. Haec enim fabula ita ad exitum procedit, ut is, a quo primae tenentur, quod expetit, id assequi videatur. Sed de hac re infra dicemus. An ad illam rationem hanc fabulam esse revocandam ideo negemus, quod haec lex, ad quam omnem actionem comicam revocamus, e philosophorum doctrina quadam subtiliore ducta esse videtur? At leges rationesque universas si philosophia res ipsas perscrutando explicat, illas minime decet aspernari, si quidem ex rebus ipsis repetuntur. Et in poesi quoque si idem illud philosophiam recte facere fatemur, vel minime arbitramur, id philosophos censere, legum rationumque illarum conscium poetam fabulam componere neque ipsi id censemus, immo praestantissimi ingenii vi poetae ipsi obscura impulsum eum carmina pangere. Neque enim quisquam nescit, in poetae mente rerum notiones quasdam quasi pulchritudinis ipsius insitas inhaerere, ad quas ille res conformet vi quadam ingenii rerumque ipsarum legibus rationibusque ductus, iisdem illis ne intellectis quidem. Quas leges rationesque si philosophia indagat, suo ac proprio munere fungitur et illud quidem qua alia via atque ea, quam philosophia ingreditur, fieri possit, omnino non intelligo, si quidem illas, quibus res omnes continentur, leges percipere volumus. Has vero rationes si perceptas habebimus, veram reram naturam perspicere nobis licebit. Philosophia

autem cum leges, quae in rebus ipsis aeternae valent ac vigent, indagat, minime id spectat, ut regulam quandam statuat, quae omnibus in rebus immutabilis semperque eadem varietatem non admittat, sed veram percipiat rationem, quae, quamvis rata certaque sit, in aliis rebus alio modo inest. Itaque ironia, quam omnibus in rebus comicis rationibusque inesse ea philosophiae traditur parte, quae in artibus percipiendis versatur, varia ac multiplex est. Sed jam ad rem redeamus. Equites, Nubes, Vespas per ironiam progredi, jam supra diximus. Quid? In Acharnensibus et in Pace, quae fabulae minime ita procedere videntur, quomodo res se habent? At jam supra commemoravimus, eos, qui primas agant, quasi causam poetae ipsius tueri victoresque discedere, quippe qui nihil pravi vel mali efficere velint, immo boni aliquid atque honesti, quo fit, ut actio ipsa non ita per ironiam procedat, ut res, quas isti effici volunt, perversae videantur, sed contrariae, quas isti impugnant funditusque eversas volunt, ita ut adversariorum studia derideantur ac perstringantur. Neque quisquam negabit id genus esse simplicius, alterum vero, ubi personarum ipsarum studia et consilia, quae quidem ad irritum cadunt, notantur difficilius atque ad perfectionem quandam perductum propius accedere ad rerum comicarum veritatem ac naturam. Cavendum est sane, ne hanc ironiam, quam vocamus, cum propria confundamus neve censeamus, verba ipsa, quibus, quae aguntur, exprimuntur, convertenda aliaque mente esse intelligenda ac videntur: verum personae, a quibus primae tenentur, errore captae eam rerum agendarum rationem instituunt, ut, qno longius actio progreditur, eo certius, quam perverse illae quidem agant, cognoscatur, sive spectantes uni errorem perspiciunt sive ii, qui agunt, extrema fabula eo deducantur, ut, quod sibi propositum habuerint, prave esse factum, intelligant et ipsi. Et Pithetaerus quidem, ut ad Aves pergamus, jucunditate quadam et otio vitae, qualem suavissimam

agunt in hortis arboribusque omnibus curis ac molestiis missis aves maxima hilaritate laetitiaque exsultantes, incenditur, ut earum consuetudine uti animum inducat. Hac autem ipsa notatione ingenii morumque, si civis fortis ac strenuus, quales antiquitus Athenienses fuerunt, componeretur cum isto homine quasi novicia vitae disciplina imbuto, maximus omnium risus excitari debebat. Quid quod istis rationibus rempublicam constituere vult Pithetaerus, aves istas imperio firmissimo conjuncturus? Nonne res, quas efficere vult, inter se adeo sunt contrariae, ut altera alteram excludat tollatque atque haec ratio inde a principio maxime ridenda videatur? Atque avium quidem imagine praeclare poeta est usus ad res, quas vult, deridendas. Nam illas quidem non veras esse aves, ut Carolus Kock censet, sed aliquid significare mihi videri pariter ac Nubes et Vespas, jam supra dixi. Quanquam harum imago admodum est perspicua, ut res leviter tantum immutatae in aliamque partem detortae videantur, cum avium imago firmius et constantius teneatur, quippe quarum vita ac natura ipsa, ut copiosius eam depingeret, poeta admoneretur. Et quidem levissimos quosque maximeque voluptati deditos homines aves mihi significare videntur: quidni sint Athenienses? Quoniam res non Athenis, sed potius, ut Kock, vir doctus, putat, in Thracia aguntur? At vero non magis in Thracia geruntur, sed in regno, quod fingit poeta, avium, in aere, si locum quendem statuere volumus. Homines igitur illa imagine jucundissima significari censemus et ingenio et moribus Pithetaeri et Euelpidis simillimos, quibus facile persuaderi possit, perfectam quandam rempublicam constitui posse, ad quam quasi summa vitae, quam aves agunt, jucunditas ac suavitas re quaque graviore ac molestiore naturaeque repugnante pulsa transferatur. His vero legibus ac rationibus rempublicam fieri non posse, nemo non perspicit cumque igitur, quid fructus ex imperio ita instituto percipiatur, summa colorum venustate

Pithetaerus depingit, stolidus vero homo ridendusque nobis videtur, ut hac mente, ironiam quandam inesse in ejus oratione, dicamus. Neque vero Koechly, viri summi, sententiam dicentis, omnium concionum inde ab Acharnensibus in fabulis Aristophaneis interpositarum rationem esse eandem, probare possum. Dicaeopolis quidem vel minime homo stolidus ridendusque mihi videtur, sed adversarii, quos idem ille deridet. Nimirum causam poetae ipsius agendo boni aliquid et honesti expetit, non pravi et perversi, quod ne cogitari quidem potest a mente sana et integra. Atque, ut ironiam, quam in Avibus inesse diximus, persequamur, cum pessima quaeque et turpissima, quae rationem a Pithetaero institutam consequi necesse est, in lucem prodeunt perturbantque speciem illam vitae jucundissimae, ita ut idem ille abjectissimum quemque a republica constituenda removere itaque ratione, quam perversissime instituit, omissa ad antiquam virtutem honestatemque redire cogatur, quod Pithetaerus propositum habuerit, id actione ipsa perverti ac tolli, ut plane contra quid eveniat, ac speravit ille, quis negabit? Et hanc rerum agendarum rationem ironiam vocare nobis lubet. Neque vero quidquam in sententiam contrariam convertendum est, sed verba, quae debent, exprimunt: si quid prave et perverse geritur, verbis, quae illud significant, exprimitur et ita quidem, ut nemo non rideat, sin vero quid bene et sapienter fit, si quis ad viam rectam redeat, illud ipsum verbis aptis exprimitur. Ad propriam vero ironiam si, quidquid dicitur, retulerimus, libenter fatemur, id perversissime fieri animumque vel maxime abhorrere a comoedia ita instituta. Pithethaerus autem, qui quidem imprudens et a via recta sit avocatus et ad eandem illam redeat, sibi constanter ingenioque congruenter agit, quod iterum ita ad errorem relabitur, ut in extrema quoque fabula mentis integrae ac plenae compos non factus, rationem omnium perversissimam se instituisse, perspectum non habeat quodque

sibi propositum habuit, consecutus videatur. Eum vero magna quadam animi fraude ac temeritate captum teneri, nemo non videbit, si, quae rationem a Pithetaero institutam consequantur, diligentius animo complexus erit, ut quaerentibus, quid poetae hac fabula conscribenda propositum fuerit, id quidem dubium esse non possit, quin poeta id effici voluerit, ut Pithetaerus pariter ac Cleo in Equitibus et Strepsiades in Nubibus et Philocleo in Vespis a consilio institutoque pravo actionis progressu recedere cogatur neve quod expetit, assequatur. Quam rationem si ironiam vocamus, vel minime censemus, fabulae cujusque exitum ipsum in mentem contrariam esse convertendum, ut Equitum fabula nefas esse doceatur, Cleonem, virum fortissimum et potentissimum, ab imperio removeri, cum Isiciarius cum damno multo majore rempublicam sit moderaturus, verum, si ironiam in hac fabula inesse dicimus, Cleonis et mores et facta ita nobis notari videnter, ut planissime appareat, illius rationem minime esse aptam et populo moderando et imperio obtinendo. Quare non solum Cleo in extrema fabula vincitur, verum etiam Populi et Agoracriti animi adeo commutantur, ut ad virtutem atque honestatem priscam illam redeant. Et in his quidem locis veritas quaedam inest, quae non magis in contrarium est convertenda, quam quae prioribus fabulae locis perverse facta sunt. Sed ad Aves redeamus. Quemadmodum igitur ironia in hanc fabulam infertur? Ex Pithetaeri ingenio et moribus est repetenda, quibus quidem, ut res prorsus inter se pugnantes effici velit, incitetur. Duabus enim rationibus ad personas adumbrandas poeta utitur. Et primum quidem causam sibi probatam agentes illas facit, ut boni aliquid ac probi prudenter sint effecturi hominibus pravis atque improbis repugnantibus, ita tamen prudenter agant, ut in comoedia decet, nam poetae comico rerum leges ac rationes similiter, atque in somnio fieri solet, inter se miscere atque confundere licet, ut, quae minime videntur,

fieri possint. Itaque, res comicae utrum fieri possint necne, si dijudicare volumus, certe quidem nam ad res ipsas, quae aguntur, sunt revocandae. Ita omnino nihil fieri potest. Universo enim quodam populo invito si quis, ut Dicaeopolis, inducias pacisci velit, id, si ad res ipsas respicimus, certe non verisimilius fit, quam si quis urbem aliquam in aere condere velit. Ad res igitur ipsas, quae aguntur, actio comica non est revocanda, etsi in hac veritas quaedam ex iisdem illis petita insit necesse est, sed ad suas ac proprias rationes. Res igitur ut sint, quales in Acharnensibus describuntur, certe prudentissime fieri censebimus, quod Dicaeopolis pace inita corruptum vivendi genus quasi integra valetudine ac sanitate commutat itaque omnibus rebus hominum quorundam improbitate afflictis maximam vitae jucunditatem revocat. Quidquid a Dicaeopoli agitur, prudenter atque constanter fit pro rerum, quae finguntur, condicionibus. Atque ita bene procedit actio superiorque discedit Dicaeopolis. Jam vero ad alteram rerum agendarum rationem transeamus, quam ii, qui perversi aliquid expetunt, instituunt, ita ut res aliqua inchoata nullo modo, ut ipsi sperant, perficiatur. Quidni Aves afferamus? In aere sane quod urbs conditur, hac re effici non est censendum, ne res proposita bene procedat. Ut enim statuimus, urbem istam imaginem quandam esse dilapsae civitatis cujusdam ac dissolutae, ita non minus recte existimare licet, speciem quandam reipublicae perfectae illa proponi omnibus vitiis ac flagitiis, quae in civitate Atheniensi inesse videbantur, vacuam. Nam imagine quidem, id quin statuamus, non prohibemur. Atque actio ita instituta bene progrederetur. Verum id unum refert, qua mente illa imagine poeta usus sit. Nam quamvis in comoedia omnes leges condicionesque misceantur et confundantur, tamen veritas quaedam rerum subjecta est, ad quam quasi rationem rectam actio poetae est conformanda ab eaque recedere non potest, si quidem mentem aliquam

in fabula inesse vult. Et rebus, quae in comoedia aguntur, ad illam veritatem revocatis actionem aliquam comicam aut cum verisimilitudine quadam atque adeo necessitate bene progredi dicimus aut plane contra evenire atque personae sperant. Atque ad eandem illam veritatem si respicimus, negamus, actionem, quae in Avibus perhibetur, bene progredi posse. Nam perversissimam instituit rationem Pithetaerus, quippe qui res prorsus inter se pugnantes efficere velit, cum id spectet, ut rempublicam instituat, ubi et cupiditati suae et communi saluti unusquisque serviat. Et in hoc quidem instituto veritas illa abest, qua una innixa actio bene precedere potest. Attamen victor discedere Pithetaerus quodque expetit, assequi videtur, cum Isiciarius et Strepsiades et Philocleo a ratione perverse instituta ita recedant, ut et ipsi sentiant, perversissime se egisse. Atque ita effrenata laetitia ac licentia exsultantes ad pristinam consuetudinem moresque antiquos illi quidem redeunt, quo fit, ut poeta et ipse illorum laetitiae particeps videatur, cui quidem nihil majori sit curae, quam ut priscorum illorum Atheniensium mores et instituta integra conserventur. Similiter cum Pithetaero, qui a ratione instituta non recedat sciens quidem atque victoriam exercere sibi videatur, Aristophanes laetatur, sed videtur tantum, cum revera acerbissime illum quidem perstringat atque cum spectantibus derideat: res enim in hac fabula prorsus eadem ratione in lucem prodit atque in Equitibus, Nubibus, Vespis, sed non eo est deducta, ut Pithetaerus et ipse animi fraudem ac temeritatem perspiciat perspectamque abiciat. Sed facile nobis persuadebimus, qua saepenumero mente integra et sana fuit, illam quidem eum latere non posse, si leviter tantum, quod factum gestumve est, animo sit complexus. Atque ita omnibus numeris et partibus haec fabula absoluta et perfecta est.

Quodsi fabulam ita procedere censemus, longe a sententia recedimus, quam ingeniosissime H. Koechly

explanavit l. l. p. 4 sq. Censet enim v. d., per ironiam rem progredi, si dicamus, hanc fabulam quam longissime recedere ab antiquae comoediae ratione; cujus generis fabulae, quae omnes et consilio et instituto et actionis progressu et exitu vehementer inter se congruant, si cum Avibus componantur, fieri non posse, quin, poetam rationem a Pithetaero institutam probare gravissimeque civibus commendare nobis persuadeamus. At vero, etiamsi in Avibus ironiam inesse existimemus, cum Equitibus, Nubibus, Vespis haec fabula et consilio et actionis progressu mihi quidem prorsus congruere videtur hacque una re discrepare, quod res non ad eundem exitum est perducta terminaturque actio, priusquam Pithetaeri ipsius animus convertatur. Quodsi actionem bene evenire vir summus censet, personarum ingenia et mores prorsus alia mente ac nos eum comprehendere, est consentaneum, et ita quidem, ut Pithetaerus perfectam quandam rempublicam, quam poeta ipse civibus vehementissime commendet ac suadeat, constituere ei videatur. Quamobrem locorum illorum vim, ubi isti cum Epope colloquentes, qualem urbem quaerant, significant, nimis extenuare v. d. videtur, cum horum mores factaque cum Dicaeopolis, Philocleonis, Trygaei indole componit.[23]) Illis

---

23) L. l. p. 8. „Jene Stellen werden vorzugsweise von den Kunstrichtern ausgebeutet, um unsere beiden Abenteurer als wahre Ungeheuer darzustellen, welche Gesetz und Recht, Sitte und Anstand mit Füssen treten, sich im Pfuhle des Lasters herumwälzen, alle Grundlagen des Staates und der Gesellschaft unterwühlen und umstürzen. Aber wir sind ja in der Comödie, und alle Personen derselben sind nun einmal in der ungeheuren Heiterkeit der dionysischen Festlust, und da ist es ja Pflicht und Gottesdienst, in Wort und That über die Schnur zu hauen, namentlich in allen sympotischen und sexuellen „Exercitien" der thierischen Natur im Menschen den Zügel schiessen zu lassen oder wenigstens — so zu thun: denn etwas „fanfarons de vice" sind alle diese Aristophanischen Biedermänner, welche er uns beglückend und beglückt vorführt. Dikäopolis mit seinen zwei Hetären, der den ersten

enim versibus praecipue Pithetaeri et Euelpidis consuetudinem ingeniumque poeta mihi persequi videtur, quo certius, ab animo voluptatis perfruendae cupido proclivique ad libidinem, quod Pithetaerus et Euelpides propositum sibi habeant, id esse repetendum, cognoscatur. Et Dicaeopolis quidem et Trygaei et Populi commutati et Philocleonis ratio prorsus alia mihi videtur, qui quidem licentia quadam et laetitia effrenata ideo exsultent, quod aut alios aut se ipsos superaverunt itaque victoria laetissima perfruuntur. Sed ut animus iste ad voluptatem proclivis Bacchanalibus sit tribuendus, non multum nobis profecisse videmur in explicanda hujus fabulae sententia. Perfectam enim quandam rempublicam, qua nihil sit praestantius, Aristophanes si revera ante oculos ponere vult, bonae et rectae aliquae rationes, quamvis jocose et facete id faciat, ei sunt proferendae. Avium vero imperium quibus rationibus instituitur? Ad voluptatem unam omnia referuntur, ne facete quidem leges meliores aliquae vel instituta significantur in priore quidem fabulae parte. Atque etiam infirmitatem animi haud levem indicant principes novi, cum in sacris acquiescere videantur perfruendis, si quidem admittantur, deorum, quorum dignitas ac majestas qualis sit, ne suspicantur quidem, cum in eorum locum succedere velint. In altera fabulae parte sane pessima quaeque et turpissima, quae

Preis im Wetttrinken gewonnen; der neugeborene Herr Volk, welchem sein doch in die Tugend umgeschlagener Mentor den schmucken Klappstuhlträger darbietet; der gebesserte Philokleon, welcher die Brodhökin prügelt und betrunken mit der Flötenspielerin durchgeht; Trygäus, welcher die Theoria mit einer nicht sehr erbaulichen Traurede dem grossen Rathe zuführt und sich dann mit der Opora vermählt — sie alle sind ächte leibhaftige Brüder unseres Auswandererpaares; man muss entweder über Alle den Stab brechen, oder Alle gelten lassen als das, was sie sind: die Typen des braven verständigen Attischen Bürgers „in guter Laune“, im seligen Dienste des Gottes, der ihnen „so kannibalisch wohl“ sein lässt.“

in republica bene instituta admitti non possunt, Pithetaerus removet, sed non tam sua sponte, quam rebus ipsis coactus id facit. Et profecto etiamsi alteram comoediae partem ex viri doctissimi sententia procedere largitus sim, illa quidem ex priore qua ratione eveniat perspicere nequeo; nam hac rectam reipublicae formam describi mihi persuadere non possum. Atque avium imaginem ab Aristophane ad rempublicam quandam firmam ac stabilem adhiberi significandam, admodum mirum videtur et longe aliter, si quasi jucunditate illa vitae, quam aves agunt,[24]) commoveretur animus, ratio erat instituenda poetae; et aves etsi duci parent aut certe pollicentur, id fieri necesse est, si quidem initium modo sunt facturae reipublicae constituendae; cum vero res ad homines transfertur propositumque Pithetaeri revera efficitur, ita ut, qui istam rationem sequuntur, ad urbem novam incolendam accedant, satis superque apparet, vinculo infirmiore quam imperio ab avibus constituto homines contineri non posse: talis enim respublica jam nascens dissolvatur ac dilabatur necesse est. Denique a Pithetaero stare poetam si statuerimus, inde sequitur, ejus mentem penitus esse conversam,[25]) id quod fabulis neque ante neque post Aves doctis affirmatur. Atque in hac ipsa fabula men-

---

24) Köchly l. l. p. 21.

25) L. l.: „Aber der Dichter ist älter geworden: er hat eingesehen, dass der Mensch nicht in seiner Mutter Leib, dass ein Volk nicht in seine Vergangenheit zurück kann. Er hat eingesehen, dass auch die gepriesene alte Zeit ihre Mängel hatte, dass, was damals gut und schön war, in die neue Zeit nicht mehr passt, dass neue Krankheiten auch neue Heilmittel erfordern, dass bei dem allgemeinen Siechthum nur eine tief und weit greifende Radicalkur helfen kann. So entwirft er mit kühner Hand das patriotische Fantasiebild des gewünschten Ideals, natürlich im Narrenkleide, wie es der Komödie geziemt. Es muss Alles anders, Alles neu werden. Nur die alte perikleische Demokratie soll fortbestehen: das souveräne Volk überträgt frei und vertrauensvoll diese Souveränetät einem selbst gewählten Haupte,

tis, quam in aliis poeta exhibet, tenacissimus est, ita ut, quidquid aetas novissima mali ac turpis in lucem profert, in unum quasi colligat ille quidem atque, unde tanquam a fonte pessima quaeque et turpissima, quibus vita Atheniensium et domestica et publica funditus evertatur, sint repetenda, dilucide illustret atque cum alia tum inprimis illud ipsum imperium populare a Pericle profectum derideat.

Jam reliquas sententias, quas novissimas v. d. protulerunt, quae quidem plurimum ad hanc fabulam percipiendam valere videntur, breviter attingamus. — J. G. Droysen, si quidem ego id recte perceptum habeo, quod v. d. exprompsit, id censere mihi videtur, magna quadam mentis vi incitatum poetam paene invitum exornatam quandam atque cumulatam rerum ipsarum, quae gerantur, imaginem ante oculos ponere et ita quidem id facere, ut et ipse iisdem illis rebus, quas facetissime describat, aliqua quidem ex parte delectari videatur. Universa enim respublica Atheniensis cum illa aetate ita dilaberetur ac difflueret, ut rebis certis ac firmis missis incertas atque inanes cives expeterent, eodem illo, quo omnium animi tenebantur, furore huic viro docto poeta moveri videtur, ita ut in fabulis conscribendis effrenata quadam licentia utatur incidatque in idem vitium, atque H. Heine poeta, qui ceteris in rebus poeta praestantissimus omni verecundia ac pietate missa ea, quae honesta sint, effuse saepenumero derideat.[26]) At vero animi virtus in hujus

---

dessen Leitung es fortan gern und willig gehorcht: Einigkeit und Ordnung sind die Folge."

26) Uebersetzung I. p. 263: „In der Regel hält man Aristophanes für höchst patriotisch, ehrenwerth, moralisch. Dem ist aber nicht so. Verläumdend, um Verläumder zu züchtigen, gegen die Frechheit der Demagogen ein noch frecherer Sprecher, voll Gotteslästerlichkeit, er, der oft den Verfall der Religion beklagt, schwelgend in der zotigsten Sittenlosigkeit, über die er so oft moralisirt, ist er durch alle die Fehler selbst, die er lustig an den Pranger stellt, so liebenswürdig, geistreich und zeitgemäss, wie er es ist. Aber ist dagegen nicht das ausdrückliche Zeugniss des

quoque fabulae omni parte certissime cognoscitur et sententia illa a viro ingeniosissimo prolata mihi quidem quam longissime recedere videtur cum ab antiquae comoediae natura, tum inprimis ab Aristophaneis fabulis.

C. Kock, qui v. d., quae Droysen in medium protulit, amplectitur, res, quibus poeta ad hanc fabulam conscribendam commotus sibi videatur, diligentius investigare conatur duasque reperit, quae qua ratione ad hanc fabulam pertineant, mihi admodum ambiguum videtur, bellum Siculum et Hermas violatos. Has vero minime velle reprehendere Aristophanem ac perstringere, immo ardore quodam animi incitatum augere atque exornare, ut, summa mentis vi res ipsas superare posse poetam, ostendat. At vero ita imprudens Kock ab ea, quam Droysen protulit, sententia recedit: in hac enim veritas quaedam inest, cum res perversas ac pravas, quibus ipsius mens depravata videatur, a poeta exprimi v. d. censeat atque, etsi nec reprehendantur nec perstringantur illae quidem, verissime tamen lepidissimeque eas depingi arbitretur. Sed hoc ipsum illum v. d. fugere videtur, qui quidem, rebus, quae agantur, poetae mentem incitari, opinetur, ut eas augeat atque exornet idque eo consilio, ut, poetae mentem rebus ipsis multo esse superiorem, planissime appareat. Ea vero sententia neque in ullam aliam comoediam quadrat et longissime ab Aristophanea recedit, cum hujus quidem poetae fabulae omnes ad res ipsas sint revocandae et reprehendendas et deridendas. Neque si ab ardore illo animi, cujus vestigia vel paucissima in hac fabula cernuntur, discesserimus, qua ratione, si ad istam sententiam fabulam referimus, actio progrediatur et totum quiddam efficiat,

---

Aristophanes selbst? Gewiss, das ändert aber die Sache nicht. Wie schön sind nicht die Phrasen, die etwa H. Heine macht, wie wunderbar und begeisternd spricht er nicht von allem Heiligen und Grossen, um es in dem nächsten Augenblicke in den Koth zu treten."